DE
JOANNA PAPISSA.

DIATRIBA
DE
JOANNA PAPISSA,
SEU
DE EJUS FABULÆ ORIGINE
A
CAROLO BLASCO
CONCINNATA.



NEAPOLI CIƆIƆLXXVIII.
TYPIS JOSEPHI-MARIÆ SEVERINI-BOETII
Superioribus annuentibus.

Eccellentiſſ., e Reverendiſſ. Signore.

Giuſeppe-Maria Severino-Boezio pubblico Impreſſore de' caratteri di queſta Dominante eſpone a V.E.Rma, come deſidera per mezzo delle ſue ſtampe dare alla pubblica luce un' Operetta intitolata: *Diatriba de Joanna Papiſſa, ſeu de ejus fabulæ origine* dell'Abbate Signor D. Carlo Blaſco; Per tanto ricorre per la ſolita licenza, ut Deus.

Rmus Dominus P.D.Salvator Spinelli S.T. Profeſſ. revideat & in ſcriptis referat. Die 1 Maii 1778.

J.J. Epiſc.Trojan.Vic.General.
Joſeph Roſſi Canonicus Deputatus

Excellentiſſ. & Reverendiſſ. Domine

Legi, tuo juſſu, Opellam inſcriptam: *Diatriba de Johanna Papiſſa, ſeu de ejus fabulæ origine a Carolo Blaſco concinnata*; qua Cl. Auctor, quod *capite ultimo ſui præclari Commentarii de Conlectione Canonum Iſidori Mercatoris* leviter attigit, copioſius, ſubtiliuſque tractat, atque exornat. Et non minus ingenium, quam ſingularem ejus eruditionem admiratus ſum,

quippe

quippe qui ea de re multorum, eorumdemque ſummorum virorum refutatis conjecturis, ſuam non levibus rationum momentis ſatis firmatam longe plauſibiliorem exhibeat. Quare quum nihil offenderim, quod qua orthodoxæ fidei, qua ſanæ morum doctrinæ fraudi vel minimum eſſe poſſit, illam dignam cenſeo, quæ, Te concedente, Typis in apertum procedat.

Excellentiæ Tuæ Rmæ

Neapoli ex Monaſterio Ss Severini, & Soſii pridie Nonas Sept. 1778.

Addictiſſ. famulus

D. Salvator Spinelli Reg. Profeſſor

Attenta relatione Domini Reviſoris, Imprimatur. *Die* 10. *Sept.* 1778.

J. J. Epiſc. Trojanus Vic. Generalis.

Joſeph Roſſi Can. Dep.

Admodum U. J. D. D. Marinus Guaranus, in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſor, revideat autographum enunciati operis, cui ſubſcribat, ad finem revidendi ante publicationem, num exemplaria imprimenda concordent ad formam Regalium ordinum, & in ſcriptis referat. Datum

ſum Neapoli die 16. *menſis Martii* 1778.

Matthæus Jan. Archiep. Carth. Cap. Maj.

S. R. M.

Juſſu tuo, Domine, accurate perlegi elaboratam a Viro Cl. Carolo Blaſco *Diatribam de Joanna Papiſſa, ſeu de ejus fabulæ origine*. In ea doctiſſimus Auctor ignotas eruditorum vulgo vias inire ſolitus & anilem illam fabellam admirabili ſua eruditione explodit, & Romanæ Sedis dignitatem eam ob rem improborum hominum calumniis hactenus expoſitam apprime reſtituit. Prima autem ejus commenti incunabula ea felicitate inveſtigat, ut de eo argumento nihil aptius, aut exquiſitius ab eruditis deſiderari poſſit. Cum igitur diſſertatio iſthæc juribus Majeſtatis nil uſquam demat, & non minus eruditioni, quam pietati proſit, eam cenſeo evulgari poſſe, ſi Majeſtati Tuæ ita videbitur.

S. M. T.

Humilſimus ſubditus, ac ſervus addict.

Marinus Guaranus.

Die 30. *menſis Julii* 1778. *Neapoli*.

Viſo reſcripto Suæ Regalis Majeſtatis ſub die 25. menſis Julii currentis anni, ac relatione Rev. U.J.D. D. Marini Guarani

de

de commiſſione Reveren. Regii Cappellani Majoris ordine præfatæ Regalis Majeſtatis.

Regalis Camera Sanctæ Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Reverendi Reviſoris; Verum non publicetur, niſi per ipſum Reviſorem facta iterum reviſione affirmetur, quod concordat ſervata forma Regalium Ordinum, ac etiam in publicatione ſervetur Regia Pragmatica: hoc ſuum.

Patritius. V. Fiſcus Reg. Coronæ
Illuſt. Marchio Citus Præſ., &
cæteri illuſt. Aular. Præfecti
tempore ſubſcript. impediti.
Reg. Carulli

Athanaſius

Pag. 25. *verſ.* 12. Archiepiſcopus *adde* Remenſis
Pag. 28. *verſ.* 5. *&c.* adde verbo *canon*,
Ead. pag. verſ. 10. attuliſſe *lege* allatam vulgaſſe.

PROOE-

PROOEMIUM.

Quam de Joanna Papiſſa conjecturam edidi in meo *Commentario de Collectione Canonum Iſidori Mercatoris* a nemine adhuc, quod ſciam, rejectam, plurimis vero maximopere probatam, cum plerique non ſatis adhuc demonſtratam putarent, a me ipſorum nonnulli petiverunt, ut pleniorem, atque ornatiorem emitterem. Id quidem ſine ullius operis anecdoti ope præſtari poſſe, difficillimum principio viſum, ac prorſus *αδυνατον*. Verum ubi diutius mecum ipſe ea omnia agitavi, quæ de Papiſſa ſcripta ſunt, àliquid tandem, fortaſſe non abs re, extundere licuit. Hinc factum, ut hujuſmodi tractationem, pluribus adjectis, nonnullis mutatis, vel etiam detractis, ſeorſum in lucem pro-

 dire

dire voluerim. Stimulos hac in re mihi addidit neſcio quid ſpei, quo mihi augurabat futurum, ut, ſi hæc conjectura Proteſtantibus adriſiſſet, pervicaciores inter eos etiam id, de quo forent convicti, perſuaſum ſibi haberent.

Fuiſſe IX. ſæculo fœminam, quæ ementito ſexu in Sedem Apoſtolicam irrepſerit, ac pro Pontifice M. ſub nomine Joannis *(a)* habita fuerit, ſequioribus temporibus communis fuit hominum opinio. Deinde deficiente barbarie, cum multa falſa pro veris credita detegi cœperint, narrationem noſtræ Papiſſæ, de qua Æneas Silvius Piccolomineus deinde Papa dictus Pius II. ſubdubitaverat, Joannes Aventinus ſub initium ſæculi XVI. *Bojorum Annal. lib. IV.* & poſt eum Onuphrius Panvinius *Annot. ad Platinam* fabuloſis narrationibus

---

(a) Id quidem creditum, ſive quod jam primum illud adſumſerit more nondum introducto in creatione Romanorum Pontificum mutandi nomen; ſive quod jam pridem adſumſiſſet, cum ſexum fuit ementita. Quomodo vero prius vocaretur, non convenit inter Scriptores; nam alii Joannam vocant, alii Agnetem, alii Gibertam, ſeu Gilbertam; & ſunt etiam, qui eam aliis nominibus vocare conſueverunt.

buſ merito accenſuerunt. Verum Joannes Baleus, & Magdeburgenſes Centuriatores, ne quid reliqui facerent in calumniando Sedem Apoſtolicam, figmentum pro hiſtoria ita venditarunt, ut, tali Monſtro in eam immiſſo, ipſam quam fœdiſſime deturpatam oſtenderent. Contra Centuriatores inſurrexerunt Bellarminus, Baronius, Genebrardus, aliique quamplurimi, præſertim Georgius Scherer libello Germano idiomate, qui in Italicum verſus prodiit anno 1585. hoc titulo: *Trattato, in cui ſi pruova non eſſer vero, che vi ſia ſtata in Roma una Donna Pontefice*; & Floremundus Ræmundus libello Gallice ſcripto, & a Carolo filio in Latinum translato, editoque anno 1601. ſic inſcripto: *Fabula de Joanna Papiſſa falſo credita*. Sed non defuit impoſturæ Patronus. Nam Alexander Cook Anglus peculiari Opuſculo in Baronium, & Ræmundum ſtilum acuit.

Sic orta quæſtio Catholicos inter, Papiſſam pro fabula, vel fabuloſa narratione (*a*) habentes, & Hæreticos illam ad-

(a) Inter fabulam, & fabuloſam narrationem diſcri-

adſtruentes, ad noſtram uſque tempeſtatem ſumma ope agitata eſt: hoc tamen intercedente diſcrimine, quod ex noſtris nemo unus exinde pro Papiſſa ſteterit, eorum contra plerique illam abjuraverint, præſertim David Blondellus celebris Calviniſta, qui duobus libellis Latino uno, altero Gallico idiomate ſcriptis, nec veram fuiſſe oſtendit, nec veriſimilem. Quin ipſorum aliqui, inter quos Bayleus ipſe, dolent a ſuis Proteſtantibus hujuſmodi patrocinium ſuſceptum, quod eo potius Catholicorum, quam ſuam cauſam egerint. Prodiderunt namque animum potius calumniandi, quam veritatem defendendi (*a*). Debebant igitur Span-

---

ſcrimen ſtatuit Macrobius *in Somn. Scipionis Cap.* 11. cujus hæc ſunt verba: *In quibuſdam enim argumentum ex ficto locatur, & per mendacia ipſe relationis ordo contexitur; ut ſunt illa Aeſopica fabulæ elegantia fictionis illuſtres. At in aliis argumentum quidem fundatur veri ſoliditate, ſed hæc ipſa veritas per quædam compoſita, & ficta profertur: & hæc jam vocatur narratio fabuloſa, non fabula, ut cæremoniarum ſacra Heſiodi, & Orphei, quæ de Deorum progenie actuve narrantur; ut myſtica Pythagoreorum ſenſa referunt*. Sed hæc differentia a Macrobio adſignata non videtur conſtans; cum ſub nomine fabulæ fabuloſæ narrationes etiam veniant.

(a) *J'oſerai dire que les Proteſtantes, qui ont tant criè con-*

Spanhemius , & qui eum illuſtrarunt, Lenphantius, & Vignolius improbo, eidemque inſaniſſimo labori parcere , & ſe abſtinere a patrocinio toties conclamati Monſtri . Sed non mirum , quod eis aliter viſum , ſi attendamus Vatinianum odium, quo Romanam ſedem proſequebantur ; nam hoc abrepti ad falſa tuenda devenerunt . Quæ cum ita ſint , modo non quærimus , num re vera Papiſſa exſtiterit ; ſed quænam cauſa fuerit ejus Monſtri effingendi . Prælaudatus Blondellus nullam fuiſſe autumat , & ſic nodum non ſolvit , ſed recidit . At rectius alii aliquam fuiſſe volunt ; ſed in eam inveſtigare hoc opus, hic labor eſt; eo vel magis , quod multi multa dixerint,

---

oontre lui (cioè Blondello) *& que l' ont conſiderè comme faux frere , n' ont etè ni equitables , ni bien eclairizets ſur l' interets de leur Patti . . . . Mais leur importe beaucop de non pas donner ſujet de ſe faire regarder comme des gentes opiniatres; & qui ne veulent jammais remordre des opinions preconcues . Mais depuis qu' il etè refutè par des raiſons tres valables , ils ont du l'abandoner , & non pas ſervir de tout leur induſtrie pour faire durer la diſpute. . . . . s' ils avoint imitè Blondel , il auroient fait paroitre par un bel exempl , qu' ils ſe paient de raiſon , & que c' eſt a tort , qu' on les accusè d' opiniatrè .*

rint, & rem acu nemo adhuc tetigiſſe videatur. Nos igitur recenſitis, rejectiſque prius aliorum opinionibus, noſtram qualemcumque conjecturam aperiemus.

C A P. I.

Referuntur aliorum opiniones, & refutantur.

Ex iis, qui Papiſſam pro puro puto figmento habent, & fabulis accenſent, Philippus Labbæus, & Antonius Pagius, odium in ſedem Apoſtolicam, Romanoſque Pontifices hujuſmodi fingendæ fabulæ cauſam exiſtimant. Ille quidem a Schiſmaticis Henricianis, ſeu ſectatoribus Henrici IV. Imperatoris, hic vero ab Hæreticis Waldenſibus fabulam ortam eſſe arbitratur. Sed cum neuter aliquod pro ſua opinatione momentum afferat, utrumque miſſum facere licebit, vel ex eo etiam quod noſtra fabuloſa narratio non modo Waldenſium Hæreſi, ſed etiam Henriciano Schiſmate antiquior videatur (*a*). Ejus enim Marianus Scotus, qui

(a) Petrus enim Waldus, a quo Waldenſes, ante medium ſæ-

qui ſcribere deſiit anno 1083. meminit ad annos 853. & 854. per hæc verba: *Leo Papa obiit Kalendis Auguſti. Huic ſucceſſit Joanna mulier annis duobus, menſibus 5. diebus 4.* Non me fugit, ex ſententia multorum virorum eruditorum ea verba non eſſe Mariani, ſed aliena manu adjuncta. Attamen eorum argumenta talia non ſunt, ut id pro indubio haberi faciant: uti tuto aſſeri poſſe videtur de interpolatione facta Chronico Sigeberti, in quo etiam Papiſſæ mentio facta legitur. Alii vero aliquod fundamentum, vel ſaltem occaſionem fuiſſe conjiciunt, unde fabuloſa narratio, qua de agitur, fuerit conficta.

Joannes Aventinus ſupra laud. loco cauſam fabuloſæ narrationi dediſſe putat Joannem X. Papam, quem ipſe IX. appellat. Ita quidem inquit: *Albertus locupletiſſimus Etruriæ Princeps Ravennam, Bononiam, Romam poteſtate habuit. Ejus ſocrus Theodora ſcortum nobile, atque im-*

ſæculum XII. circiter adhuc ſuos errores non diſſeminaverat, nec ſocios ſibi adſciverat, & Shiſma Henricianum anno MLXXXIV. vix cœpit.

periosum Romæ dominabatur, Joannemque nonum amatorem ſuum Bononienſibus primo, deinde Ravennatibus, poſtremo Romanis impoſuit Primarium Sacerdotem. Unde fabellam ortam crediderim, quæ temere vulgata eſt hiſce temporibus, fuiſſe Sacerdotem Maximum fœminam, quae appellata ſit Joanna. Hæc conjectura aliquid probabilitatis haberet, ſi Papiſſa vocaretur *Theodora*; fieri enim poterat, ut Papa propter dominium *Theodoræ*, ipſe diceretur *Papa Theodora*; uti de illo Rege dicitur, qui, cum ab uxoris ſuæ Mariæ arbitrio, nutuque penderet, vocabatur *Rex Maria* (*a*). Præterea illis difficillimis temporibus, quibus Chriſtus Dominus impenetrabili ſuæ ſapientiæ conſilio aliqua Monſtra in Eccleſia toleravit, non unus, ſed plures Pontifices opera alicujus nobilis ſcorti ad Pontificatum fuerunt adſumti; ideoque non una, ſed plures fuiſſent Papiſſæ. Diſtat etiam ætas Joannis

(a) Hunc *Regem Mariam* ne confundas cum *Maria* Regina Hungariæ Sigiſmundi Luxemburgenſis, deinde Imperatoris uxore, quæ ex more illius Nationis *Rex Maria* dicta fuit. Hungari enim ſummum Imperium in ſe habentem, etſi fœmina ſit, Regem nuncupare conſueverunt.

nis X. qui floruit ab anno 914. uſque ad annum 928. ab ætate Joannæ Papiſſæ, quam omnes collocant ſæculo IX. licet non conveniant in ipſo definiendo tempore. Nec Ioanni X. aptari poſſunt, quæ Martinus Polonus, aliique addunt, Joannam ſcilicet ex Moguntiaco vocatum fuiſſe Joannem Anglum. Denique quomodo fœmina credi potuit Pontifex, quem exporrectae virtutis, ac maximi animi in re præſertim militari fuiſſe conſtat (*a*)?

Onuphrius Panvinius ſupra laud. loco cenſet, hanc fabulam ortum habuiſſe a Joanne XII. Pontifice in omnem libidinem effuſo: *Sed quoniam*, inquit, *omnia inſignia mendacia ab aliena veritate originem habent, hanc fabulam ex Joannis XII. viri impuri vita manaſſe crediderim. Is Joannes per vim Patris Alberici Romani Principis potentia adhuc pene adoleſcens Pontifex factus aliquot*

(a) Hic enim magis ad arma, quam ad ſacra pertractanda comparatus, primus fuit inter Romanos Pontifices, qui procedendi in aciem exemplum dedit, talique ſucceſſu, ut Saracenos fugaverit, eoque nomine, ut Sigonius *lib. VI. de Reg. Ital.* de eo ſcripſerit: *Eccleſiæ, & Italiæ mire profuit.*

quot Concubinas, ut Luitprandus Ticinenſis illius temporis ſcriptor lib. VI. Cap. 6. & 7. tradit, habuit. In his præcipue erant Joanna, Rayneria, & Stephana. Ex Joanne igitur Papa, & ejus ſcorto Joanna, ad cujus forte arbitrium, tamquam Papæ, omnia Romæ fiebant, Joannis fæminæ Papæ fabula manavit, quæ proceſſu temporis aucta in Hiſtoriæ auctoritatem imperiti alicujus Scriptoris opera paullatim irrepſit. Sed hæc Onuphrii conjectura eaſdem, prima, & ultima excepta, difficultates patitur, quas opinio illa Aventini, immo majores; tum quod Joannes XII. a tempore Joannæ Papiſſæ magis diſtet, tum quod ita non una, ſed tres Papiſſæ fuiſſent. Præterea, quod pace eruditiſſimi viri dictum ſit, Panvinius inſigniter heic hallucinatur, cum putat a Luitprando, ſeu potius ejus Continuatore (*a*) inter ſcorta Pontificis memorari Joannam. Meminit ille ſiquidem Rayneriæ, & Stephanæ, ſed nullo modo Joannæ; ut proinde prima difficultas con-

(a) Cui quidem Continuatori profuſo in laudando Othone I. Imperatore, qui Joannem in Pſeudoſynodo deponendum curavit, neſcio, quæ fides præſtanda ſit de hoc ſpurciſsima teſtanti.

contra interpretationem Aventini propoſita heic etiam locum habeat.

Cardinalis Bellarminus *lib. III. de Romano Pontifice cap.* 24. eam fabulam inde natam eſſe conjicit, quod mulier in Sedem Conſtantinopolitanam aliquando irrepserit, ut Græcis exprobravit Leo IX. *epiſt.* 1. ad Michaelem Conſtantinopolitanum, & Leonem Acridanum *cap.* 23. (*a*): *Cum enim*, inquit Bellarminus, *rumor eſſet, quamdam fœminam fuiſſe Pontificem Coſtantinopolitanum, & deinde paullatim omiſſo nomine Coſtantinopolitano remanſit fama, & opinio de fœmina Pontifice, & Pon-*

(a) Verba S. Leonis ſunt: *Abſit autem, ut velimus credere, quod publica fama non dubitat, adſerere Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ contigiſſe, ut Eunuchos contra I. S. Nicæni Concilii Capitulum paſſim promovendo, fœminam in ſede Pontificum ſuorum ſublimaſſet aliquando. Hoc tamen abominabile ſcelus, deteſtabileque facinus, etſi enormitas ipſius, vel horror, fraternaque benevolentia non permittit nos credere; conſiderata tamen incuria veſtra erga Sanctorum cenſuras Canonum, quia Eunuchos, & aliqua parte corporis imminutos non ſolum ad Clericatum, ſed ad Pontificatum etiam indifferenter, ac ſollemniter adhuc promovetis, fieri potuiſſe penſamus.* Hæc ſama ortum habuiſſe videtur ex eo, quod refert Herchembertus *de Arechio II. Duce Beneventano*, cum ſcil. per viſum noviſſe in Sede Conſtantinopolitana ſœminam ma-

Pontifice Univerſali, *cœperunt aliqui in odium Romanæ Eccleſiæ dicere*, *fœminam illam Romanum fuiſſe*. *Et veriſimile eſt circa tempora ipſius Martini* (Poloni) *hanc fabulam ortam*. Sed hæc Bellarmini conjectura, quam ipſe dubitanter affert, licet ingenioſa, nimis tamen longe petita videtur; ideoque, cum aliis etiam nominibus impugnari poſſit, eam miſſam facimus: eo vel magis, quod ipſam nulla ratione comprobat (*a*).

Nec vero aliquid roboris ipſi adfert obſervatio Floremundi Ræmundi, quod & Conſtantinopolis dicta fuerit *Nova Roma*, (*b*) quin interdum *Roma* abſolute:

---

matrem ementitam, & ob id legatos miſiſſe ad illum Clerum, ut hujuſmodi Monſtri eum certiorem redderet.

(a) Neque verum eſt, quod *Bellarminus* veriſimile putat, circa tempora *Martini Poloni*, hoc eſt poſt medium ſæculum XIII. hanc fabulam ortam; nam ut ſupra innuimus, & infra multis probabimus, ante ea tempora jam orta erat.

(b) Cum Conſtantinus Magnus *Byzantii* novam Urbem, Romæ æmulam, condidiſſet Conſtantinopolim, eam Orientalis Imperii caput eſſe voluit, ac iiſdem prærogativis, privilegiiſque donavit, quibus Roma Occidentis caput gaudebat. Hinc factum, ut a Græcis illa *Nova*, *Altera*, *Secunda Roma*; hæc vero *Antiqua*, *Vetus*, *Senior* diceretur. Nulli id Chriſtia-

te: quo facile error obrepſerit, ut una pro altera acciperetur; quandoquidem mos ille, quo Conſtantinopolis interdum *nova Roma*, *altera Roma*, *ſecunda Roma*, & aliquando etiam *Roma* abſolute audiit, apud Græcos quidem obtinuit, non vero apud Latinos, (iis tamen exceptis, qui inter Græcos verſati ſunt, veluti Comes Marcellinus, Corippus, & Priſcianus) quibus noſtra fabula refertur accepta. Ex quo facili negotio corruit, quod Card. Baronius opinatur, Græcos ſcilicet Schiſmaticos, quod Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ proprium erat dedecus, ſummam per injuriam Romanæ adſcripſiſſe.

Baronius itaque licet Bellarmini conjecturam probabilem habeat, aliam tamen ipſe profert ad annum 879. a Joannis

---

ſtiano nomini fraudi fuit; cum & aliæ Conſtantinopoli longe inferiores Urbes *novæ Romæ* nomenclatione aliquando inclaruerint. Sed Græcorum ambitio, qui ex æqualitate Imperii æqualitatem quoque Sacerdotii metiebantur, eo evaſit, ut Epiſcopum Conſtantinopolitanum Epiſcopo Romano æqualem efficerent, quaſi primatus Romani Epiſcopi eſſet quid humanum pro hominum voluntate communicabile. Id in cauſa fuit, quapropter truculentiſſimum ſchiſma fuerint moliti.

nis ſcil. VIII. Papæ nimia facilitate fabulæ ipſius originem arceſſit, qui nempe, inſuper habitis ſuorum deceſſorum, atque Concilii Œcumenici VIII. Decretis, Photium reſtituit in Sedem Conſtantinopolitanam. *Hinc puto factum*, inquit Cardinalis, *ſi quæ tamen veritatis, vel ſaltem ſpecies mendacii apertiſſimi eſſe potuit, quod ob nimiam Ioannis animi facilitatem, & mollitudinem, abjecta penitus omni virilitate, fractus animo, Sacerdotalis conſtantiæ expers, atque robore enervatus, non Papa, ut Nicolaus, & Hadrianus, ſed Papiſſa fuerit contumeliæ loco dictus; utpote quod, qui nec reſiſtere ſciret Eunucho, quique vinceretur a ſemiviro, non vir, ſed eſſet potius fœmina nuncupandus; & ſic nomen contumeliæ tranſierit poſteris rerum inſciis in veritatis opinionem, atque a compluribus decantatum fuerit, Ioannem VIII. Papam fuiſſe fœminam: ſicque jactata vulgo eo modo locum invenerit fabula. Ejuſmodi plane ſcommatibus proſcindi ſæpe ſolere levioribus de cauſis Romanos Pontifices a maledicis, & otioſis, quis Romæ ignorat?*

Hæc Baronii opinio etſi aliquid veriſimilitudinis habeat, nulla tamen auctoritate comprobatur (*a*), nec ulla ex circumſtantiis, loci, vel cognominis confirmatur. Huc accedit, quod Joannes VIII. ſi quam culpam in reſtitutione Photii admiſit, ea non fuit timiditatis, & ignaviæ, qualem deſcribit Cardinalis Baronius, ſed potius, ut eam vocat Natalis Alexander, *imprudentiæ* (*b*): cum præſertim jam contractam maculam, Photii damnatione, & excommunicatione, poſtquam ejus inſignem nequitiem, & fraudes, legatorumque Apoſtolicorum ſeductionem compertam habuit, eluere conatus fuerit. Quin Petrus de Marca *lib. III. de Concor. cap.* 14. *num.* 4. Joannem in cauſa Photii nullius umquam culpæ reum fuiſſe contendit (c). Quo po-

(a) Scilicet ut Scriptorum aliquis Joanni VIII. ob id muliebris timiditatis notam inuſſerit, aut ab aliis inuſtam, vel quid ſimile retulerit.

(b) Credendo ſcilicet dictis Photii hominis nequiſſimi, & vaſerrimi, & de ejus vitæ emendatione ſine ullis pœnitentiæ ſignis incaute ſibi blandiendo.

(c) *Ignatio functo*, inquit, *Photius toties damnatus, ſedem ſuam recepit ſuffragiis Orientalium Epiſcoporum, adnitente Baſilio Imperatore: ſed illa reſtitutio*

poſito omnino corruit Baronii (*a*) conjectura, etſi vulgo recepta.

Nihil fere a Baronii opinatione abludit Turſellini ſententia. Is *Epit. Hiſtoriar.* ait: *Sunt qui Ioannem VIII. fœminam fuiſſe fabulantur; quod falſo creditum, veri locum apud imperitorum vulgus obtinuit, ſive quia muliebris Pontificis*

---

tio integra eſſe non poterat, niſi a Sede Apoſtolica probaretur: Quare Joan. VIII. rogatus ab Imperatore, ut Eccleſiæ paci conſuleret, neceſſitati cedens, Leonis, Gelaſii, Felicis, & Concilii Africani auctoritate fretus, qui in rerum anguſtiis temperandas eſſe regulas docent, & de conſenſu ceterorum Patriarcharum Photium anathemate liberavit, illique Sedem retinere conceſſit, ea lege, ut coram Synodo cogenda miſericordiam peteret; de conſenſu, inquam, ceterorum Patriarcharum, & Epiſcoporum Joannes Photium ſolvit; ut videre eſt in Epiſt. germana ejuſd. Joan. quamquam in epiſt. a Photio corrupta hic conſenſus deſit. Ita Marca qui paullo poſt addit: *Ceterum a culpa Joannem liberat Principis, & ceterorum Patriarcharum, totiuſque Synodi Orientalis conſenſus, quem datum fuiſſe Joannes ſuis litteris ſignificat. Profert autem ad confirmationem ſententiæ ſuæ exempla Athanaſii, Chryſoſtomi, & Flaviani, qui a Synodis damnati cum fuiſſent, a S. Sede Apoſt. in integrum reſtituti ſunt.*

(a) Neque in hoc ſolum videtur Baronius parum æquus erga Joan. VIII. eum nimiæ indulgentiæ, & facilitatis redarguendo; ſed etiam eum ex oppoſito, nimii rigoris, & ſeveritatis accuſat in damnatione Formoſi Epiſcopi Portuenſis, qui deinde in ſedem fuit

ſcis facies, ſive effæminatus interdum vigor fabulæ locum dederit. Sed unde habuit Turſellinus, Joanni VIII. fuiſſe faciem muliebrem, vel ejus vigorem effœminatum? Omnes picturæ antiquæ ipſum virili ac gravi adſpectu repræſentant, nec aliter hiſtoriæ ejus animum exhibent.

Nil autem moror Papebrochii opinionem timiditati Joan. VII. qui ſub initium Sæculi VIII. vixit, id potius tribuentis *(a)*. Nam licet revera ex Anaſtaſio Bibliothecario Joannes VII. in cauſa ſynodi Quiniſextæ *(b)* notam timiditatis

---

fuit reſtitutus, ac tandem Rom. Pontifex renuntiatus. Ad annum enim 883. loquens de Martino Papa depoſitum Formoſum redintegrante, ait: *Perperam facta Joan. VIII. reſcindens*; & ſic pro injuſta habet depoſitionem a Joan. factam, licet ſe ejus cauſam ignorare dicat. Cauſſam non unam, ſed plures, eaſdemque graviſsimas adſignat Joan. *Epiſt.* ad Epiſcopos Galliæ, & Germaniæ, quam ſi doctiſsimus Baronius vidiſſet, non ita fuiſſet loquutus.

(a) Neſcio igitur, qua confidentia Zuingerus *Theat. vol.29.* effutiat Joannem VII. fuiſſe foeminam, & in partu interiiſſe, cum ex Anaſtaſio habeamus ſepultum fuiſſe *ad B. Petrum Apoſtolum ante Altare Oratorii Sanctæ Dei Genitricis, quod ipſe conſtruxit*. Potuit ne infamiſsima foemina tam decenti ſepultura donari?

(b) Cum V. ac etiam VI. Synodus Generalis, ſeu ſecunda, & tertia Conſtantinopolitana de ſolis Fidei

tatis ſubierit ; nec novum fuerit homines meticuloſos , & imbelles tamquam fœminas haberi , & fœminas dici (*a*) ; ta-

dei controverſiis habitæ , nullos Canones ad diſciplinæ inſtaurationem , morumque reformationem condidiſſent : ad hos ſupplendos aliam a Juſtiniano II. Imperat. indictam Græci anno 692. in fornice , Trullo dicto , Imperialis Palatii , habuerunt ; unde hæc dicta Synodus Trullana , & Quiniſexta veluti quintæ , & ſextæ adpendix . In ea igitur conditi fuere Canones 102. quorum aliqui multa abſona continent . Hujus Synodi acta in ſex tomos diſtributa idem Imperator miſit ad S. Sergium PP. ut ea confirmaret , vel ante alios ſubſcriberet : quod cum Pontifex facere renuiſſet , graves moleſtias propterea ab illo paſſus eſt . Verum Imperatore mox depoſito res quievit , donec is in Imperium revocatus duobus Metropolitis una cum dictis tomis ad Joan. VII. Papam miſsis , ab eo petiit , ut quæ ei viſa eſſent , ſtabiliret, & quæ adverſa, renuendo excluderet . Pontifex coegit Concilium, ſed quid hac de re egerit , ignoratur . Nec aliud habemus, niſi quod Acta , ut acceperat , ad Imperat. remiſit . Anaſtaſius igitur id *Pontificem* egiſſe dicit , *humana fragilitate timidum* . Sed quæſtio eſt inter viros erud. num tali nota Joan. jure inuſtus ſit . Multi eum defendunt , exiſtimantes potius prudenti conſilio noluiſſe Imperatoris petitioni deferre , ne ſcilicet videretur pro legitima habere Synod. Œcumen. ſine auctoritate Rom. Pontificis habitam . Num vero, qui ſequuti fuerunt Romani PP. eam Synodum aliqua ex parte probaverint , vide Librum inſcriptum : *Storia Polemica del Sacro Celibato* , *cap. 9.*

(a) Hinc Charondas Thuriorum legiſlator ſancivit , ut

tamen cum ex ſuperius dictis adverſentur plurima, &, quod caput eſt, ætas hujus Joannis amplius integro ſeculo ab ea diſtet ætate, qua Papiſſam vixiſſe ſtatuunt Hiſtorici, etiam illi, qui eam antiquiorem faciunt; facile quiſque intelligat, hanc opinionem mole ſua ruere.

Nec pluris facio Leonis Allatii conjecturam, originem fabulæ arceſſentis ex Thiota muliere Alemanna Moguntiæ degente, quæ Leonis IV. tempore ſibi prophetandi, & concionandi munus adſumſerat, & in Synodali judicio Germaniæ damnata fuit (*a*). Quid enim

 com-

---

ut ſi quis militum in bello terga dediſſet, tres dies in foro muliebri Stola indutus, populo ſpectante, ſuæ ignaviæ poenam ſubiret. Et Therſites ille apud Homerum Iliad. lib. II. v. 2 35. cum tergiverſantes milites vidiſſet, eos per ignominiam Achivæ mulieres vocavit, his verbis:
ω πεπονες κακ' ελεγχε' Αχαιδες, ουκ ετ' Αχαιι· *O imbelles, mala probra Achivæ, non amplius Achæi.*
Sic Turnus apud Virgilium Æneid.IX. volens Trojanis muliebrem mollitiem exprobrare eos fœminas facit:
O Veræ Phrygiæ, neque enim Phryges.

(a) Allatius igitur in libro, quem inſcripſit: *Confutatio Fabulæ de Joanna Papiſſa ex Monumentis Græcis*, hæc habet: *Furit in Sacra Moguntiaci in Germania mulier, Thiota nomine, ut tradunt Francorum annales, & Sigebertus in Ckronico, res Eccleſiaſticas perturbabat. Etenim novam ſe prophetiſſam ve-*

commune habet Thiota pſeupo-prophetiſſa Moguntina cum pſeudo-Joanna Romana Papiſſa? Quod ſi pſeudo-prophetiſſæ hominum errore Papiſſæ evaderent, quot Papiſſas haberemus! Demum omnino ſpernenda videtur hariolatio Samuelis Sornbierii fingentis, ex Joanna muliere Nicolai V. Antipapæ (*a*) fictam fuiſſe Joannam

vocabat, uſurpabatque publice docendi munus, & concionandi. Hinc multi ſacra doctrina poſtpoſita, eam quaſi Magiſtram cælitus deſtinatam ſequuti ſunt; re poſtea detecta Synodali judicio damnata eſt. Habes lector, quod mihi in animo certum eſt, nec ambiguum. Poſterioris ſæculi homines nonnulli rudes illi quidem, & ſimplices, dum audiunt inter Leonem, & Benedictum, vel ſaltem illo tempore foeminam quamdam Moguntiacam non tantum prophetaſſe, ſed & prædicaſſe, obiiſſeque alia munera, quibus Summi Sacerdotes decorantur, animum a fæmella, quam nec cogitaſſe tantum ſcelus credunt, avertentes ad Principem omnium Magiſtram, Petri Cathedram ſcilicet, cujus id munus eſſe optime norunt, inducunt, & a Germania in Italiam, a Moguntiaco Romam transferunt. Alii ſceleſti illi quidem malitioſe totum hoc in innocentiſſimum Petri Thronum traducunt, & Germanicam infamiam honoratiſſimæ Romanæ Eccleſiæ adtribuunt. Ut facilius fallere poſſint, Joannam iſtam Anglicam, Moguntiacam eſſe volunt; & lepidi fabulatores perbellis, etſi fictitiis narrationibus veſtiunt, & compte fucatam exponunt. Nec aliunde mihi videtur veriſimilius, quam ab Moguntiaca iſta Joannem Moguntiacum origine, cum tempora reſpondeant, hauſiſſe.

(a) Hujus rei brevis hæc eſt hiſtoria: Quidam Petrus Ri-

nam Papiſſam ; nam ut alia prætermittam , latum intercedit diſcrimen inter Joannam mulierem Nicolai V. Antipapæ , quæ floruit anno 1328. & Papiſſam , cujus meminere ſcriptores longe antiquiores.

Raynalducius Oppidi Corvaræ in finibus Aprutii Reatinæ Dioeceſis , Joanna Matthaea eius uxore renitente, Franciſcanorum Ordini nomen dedit, in quo ſolemni profeſſione emiſſa, cum eſſet jam ſenex opera Ludovici Bavari Imperat. Joan. XXII. legitimo Pontiſ. depoſito , in ejus locum Pontifex ſuit ſuffectus . Tunc Joanna uxor adhuc ſuperſtes, volens ſorſan particeps eſſe Pontificiæ amplitudinis judicium inſtituit in Reatina Curia , inſtans nullam declarari profeſſiouem ſui viri , eumque repetiit : *pro qua Joanna* (verba ſunt Bernardi Guidonis in II. Vit. Joan. XXII.) *contra prædictum Petrum per D. Joannem Epiſcopum Reatinum lata fuit ſententia publice ſervato juris ordine penult. die menſis Nov. anno 1628. ſicut in Tranſumto ſententiæ plenius legimus contineri* . Quæ quidem ſententia , licet effectu caruiſſet , tamen celebris evaſit ; nam Joannes legit. Pontif. ex ejus autographo, quod habuit , exemplaria ad omnes Principes miſit . Subinde pſeudo-Pontifex facti poenitens a legitimo veniam honeſtis conditionibus impetravit; & ſic tali Scenæ impoſitus finis.

C A P. II.

Exponitur, & oſtenditur conjectura ex Collectione Canonum Mercatoris petita.

EGo vero potius crediderim fabulæ de Joanna Papiſſa occaſionem, ac cauſam dediſſe falſas Decretales; quæ licet multorum Pontificum nomina præſeferant, ab una tamen manu conſarcinatæ prodierunt, ac tanto in honore habitæ ſunt, quaſi ab ipſa Apoſtolica Sede fuerint emiſſæ. Quo autem pacto ex pſeudo-Decretalibus fabula efficta, facile divinaverim. Fortaſſe quiſpiam Iſidorianæ fraudis non ignarus, cum vidiſſet pſeudo-Decretales tamquam genuinas laudari, & veluti diſciplinæ normam in re judiciaria præſertim paſſim haberi, animum induxit quaſi per ænigma dolos Mercatoris detegere. Itaque dictitare cœpit, fuiſſe Papiſſam, Joannam dictam, eam peperiſſe, &c. Hujuſmodi ænigma, in quo diſſolvendo Œdipo conjectore erat opus, ex defectu artis criticæ non intellectum, primum uti fabella

bella vulgari cœpit : ac tandem vera hiſtoria credita eſt. In hanc vero conjecturam eo lubentius abeo, quod multa ex iis, quæ a primis fabulæ editoribus ſcripta ſunt, potiſſimum in id aptentur; præſertim, quæ habet Martinus Polonus, qui fabulam Joannæ Papiſſæ ita graphice deſcribit, ut veram hiſtoriam Collectionis Canonum Iſidori Mercatoris vivis coloribus omnino depingere videatur. Ait itaque in *Supputationibus ad annum* 854. *Poſt hunc Leonem IV.* (*quem ille vocat V.*) *Ioannes Anglus, natione Moguntinus, edit annis duobus, menſibus* 5. *diebus* 4. *& ceſsavit Pontificatus menſe uno, mortuus eſt Romæ. Hic ut adſeritur, fœmina fuit, & in pupillari ætate a quodam ſuo amaſio in habitu virili Athenas ducta fuit: in diverſis ſcientiis ita profecit, ut nullus ſibi par inveniretur; adeo ut poſt Romæ triennium legens magnos Magiſtros, diſcipulos & auditores haberet. Et cum in urbe vita, ſcientia magnæ opinionis eſſet, in Papam concorditer eligitur. Sed in Papatu per ſuum familiarem imprægnatur. Verum tempus partus ignorans*

cum de S. Petro in Lateranum tenderet, anguſtiata inter Coliſsæum, & S. Clementis Eccleſiam peperit; & poſtea mortua ibidem, ut dicitur, ſepulta fuit (a). Nec a Polono multum diſcrepat Stephanus de Borbone, qui ante eum ſcripſerat (*b*)*.

Et primo quidem reſpondet tempus: ſæculum ſcilicet IX. in quo omnes Scriptores conveniunt fictam Papiſſam floruiſſe,

---

(a) Non me latet, eſſe, qui contendant, hæc quæ habentur in Martino Polono ab aliena manu eſſe adſuta. Verum hoc ita eſto, quid tum inde? Saltem hoc aſſumentum non multis annis poſt Martinum factum fuit. Ptolomæus enim Lucenſis *in Hiſt. Eccl.* ex Martino, quem laudat, noſtram fabellam recitat. Cum vero Polonus anno 1278. mortuus fuerit, & Lucenſis an. 1312. ſuam hiſtoriam evulgaverit, intra horum annorum ſpatium illud factum dicendum. Ex eo tamen quod diximus ex multorum ſententia, noſtræ fabellæ Marianum Scotum minime meminiſſe, eſſe, qui idem ſentiant de Martino Polono, ne credas cum utroque Pagio tempore inter Polonum, & Lucenſem medio, vel cum Bellarmino circa tempora ipſius Poloni eam adinventam. Stephanus enim de Borbone, qui obiit anno 1261. loco mox adducendo illius, ceu veræ hiſtoriæ, meminit; ubi præſertim notanda verba, *ut dicitur in Chronicis*, quæ denotant antiquitatem, ac etiam quamdam, ut ita dicam univerſalitatem.

(b) *Libro de ſeptem donis Spiritus S. tit. V. de dono prudentiæ Cap. Quod electio Prælatorum debet eſſe pura Cap.* 10. apud Patres Echardum, &

Que-

ruiſſe, & pſeudo-Iſidori Collectio fuit adornata. Quin ipſiſſimum tempus quadrat, principium videlicet ejus ſæculi. Oſtendimus enim in *Commentario Collectionis Canonum Iſidori Mercatoris* contra Blondellum, hujuſmodi Collectionem non medio ſæculo IX. ut ipſe contendit, prodiiſſe; ſed a Riculfo Archiepiſcopo Moguntino, qui ſedit ab anno 785. vel 787. uſque ad annum 814. vel 815. fuiſſe publicatam; & quidem multo veriſimilius his poſterioribus annis. Nam Hincmarus Archiepiſcopus, qui hanc rem narrat, ſcripſit ſub annum 870. obiitque ann. 882. & de ea lo-

---

Queriſum in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum, ubi hæc habentur: *Accidit autem mirabilis audacia, imo inſana circa annum Domini MC.* (videtur hoc mendum, & legendum CM. ut in ſimilibus paſſim accidit) *ut dicitur in Chronicis: Quædam mulier litterata & in arte notandi edocta, adſumpto virili habitu, & virum ſe fingens, venit Romam, & tam induſtria, quam litteratura accepta, facta eſt Notarius Curiæ, poſt, Diabolo procurante, Cardinalis, poſtea Papa. Hæc imprægnata cum adſcenderet, peperit. Quod cum noviſſet Romana juſtitia, ligatis pedibus ejus ad pedes equi diſtracta eſt extra Urbem, & ad dimidiam leucam a populo lapidata, & ubi fuit mortua, ibi ſepulta, & ſuper lapidem ſuper ea poſitum ſcriptus eſt verſiculus:* Parce Pater Patrum Papiſſæ edere partum.

loquitur tamquam de re certa, & veluti ſuo tempore geſta; ideoque nonniſi eos annos indicare potuiſſe videtur. Præterea cum Riculfus tam ſollicitus fuerit de publicatione noſtræ Collectionis; ut, quemadmodum idem Hincmarus ait, illas ampliſſimas Regiones ex ea *repleri* fecerit; eadem ſollicitudine, ſi per tempus licuiſſet, ut ad Romanum Pontificem perveniret, ſimiliter procuraſſet: de ejus etenim juribus agebatur, & ſine ipſius præſidio ſuppoſita monumenta nihil valuiſſent, vel certe parum. Attamen hoc egiſſe minime legimus, etſi Sedi Apoſtolicæ eſſet devotus, & illum tali munere donandi non deeſſet occaſio. Nam Leo III. Papa ſemel, & iterum ad Carolum Magnum venit, a quo grandi apparatu exceptus, cum eo commoratus fuit, & primo quidem anno 799. Paderbonæ, tum anno 804. Aquiſgrani, in quibus locis Riculfus facile Pontificem convenire poterat, & reipſa obſequii cauſa conveniſſe credendum eſt; eoque magis, quod ejus eſſet amicus (*a*).

Qui

(a) Ne quis ex dictis anſam ſumat calumniandi Romm.

Qui opportunior locus noſtram Collectionem illi offerendi? Cum igitur id non egerit, dicendum, eam adhuc lucem non adſpexiſſe. His accedit, quod hujuſmodi poſteriores anni Riculfi iidem ſunt, ac ultimi Caroli Magni, qui mortem obivit anno 814. Cum igitur Imperator per id temporis præſertim totus fuerit in procuranda inſtauratione Politiæ Eccleſiaſticæ; admodum veriſimile eſt, pſeudo-Iſidorum, qui Moguntiæ in illius veluti Regia, ut mox videbimus, morabatur, hanc opportunitatem nactum ſuppoſitione falſorum monumentorum optimo Principi voluiſſe imponere. Et reipſa Remedius, ſeu Remigius Epiſcopus Curienſis ejuſdem Imperatoris juſſu ex Impoſtoris litteris excerpta collegit: id quod anno 813. circiter contigiſſe putat Goldaſtus tom. 2. *Re-*

Pontifices, quaſi Riculfus ex condicto cum Leone III. falſa monumenta fingenda curaverit; huc revocanda a nobis adducta cap. 3. *Comm. de Collectione Canonum Iſidori Mercatoris*, quibus oſtendimus, hanc ex toto per multa tempora eis Pontificibus minime innotuiſſe, nec quidem ex parte uſque ad annum 833. quo aliqua ex illa Collect. cum veris monumentis admixta Gregorio IV. in Alſatia degenti fuerunt oblata: quod infra confirmabimus.

Rerum Alaman. par. 2. Sub finem etiam Regni Caroli M. (*a*) noſtram Collectionem vulgatam fuiſſe habet *Encyclopedie, ou Dictionaire raiſonnè des Sciences &c.* quod idem eſt, ac ſub principium Secul. IX. ut vult Coutantius *Præf. ad Epiſtolas Romm. PP. par. II.* §. 10. *num.* 158.

Sed regeres: Idem Hincmarus dicit, Riculfum noſtram Collectionem ex Hiſpania attuliſſe; ergo antiquior dies natalis ei tribuendus. Scilicet Hincmarus intelligendus eſt de illa parte Collectionis, quæ genuina monumenta continet, non de ſuppoſititiis, quibus fuit onerata; ea enim, ut mox dicemus, Moguntiæ compilata fuerunt. Neque negotium faceſſit, ex noſtra Collectione excerpta fuiſſe Capitula, quæ anno 785. ab Hadriano I. Papa data dicuntur Angilramno Metenſi, vel contra ab hoc illi oblata, ut proinde eo anno ipſa antiquior videatur: Hoc inquam, nullum negotium faceſſit, cum, ut abunde demonſtravimus in *Diatriba de Capi-*

(a) Ætate quoque Caroli M. eam Collect. prodiiſſe autumat Pithœus *Gloſſ. Capit. v. Riculſus*, & poſt illum Florens, Mabillonius, aliique.

pitulis Papæ Hadriano tributis, ea longo poſt tempore fuerint ſuppoſita.

Ficta vero Papiſſa ex Engeluſio in Chronico ſedere cœpit anno 809. (*a*) & deinceps per annos quinque: Engeluſii Chronico conſonant alia duo apud Lenfantium, quæ illam ſtatuunt ſub annum 810. Nec obſtat, quod vulgo medio ſeculo collocari ſoleat. Id etenim facile evenire potuit. Siquidem Ænigmatiſta Papiſſam finxit floruiſſe IX. ſæculo, tempore Caroli Imperatoris, qui, ut modo dixi mus, ſub principium anni 814. mortem obivit. Hiſtoriarum Scriptores, qui fabellam pro veritate acceperant, non intelligentes, quomodo Papiſſa ea ætate floreſcere potuerit, qua ſederet legitimus Pontifex Leo III. qui Carolo Magno annos

(a) Engeluſium Pontificatum Papiſſæ ſtatuiſſe ab anno 809. ad annum 814. ex eo evincitur, quod ea memorata continuo ſubdat: *S. Ludgerus obiit*; & ſequitur: *Ludovicus I. dictus Pius imperat annis vigintiquinque*; & deinde recenſet Roman. Pontifices, qui eo imperante ſederunt, & primo quidem Stephanum IV. qui Leonem III. exceperat. Cum igitur conſtet laudatum Ludgerum obiiſſe anno 809. Ludovicum vero Pium imperare coepiſſe anno 814. hoc temporis ſpatium ex Engeluſio dandum Papiſſæ Pontificatui inter Leonem, & Stephanum.

nos duos, & amplius ſuperſtes fuit, exiſtimarunt potius, collocandam poſt mortem Leonis IV. ſub Carolo Calvo Francorum Rege, qui & ipſe deinde fuit Imperator. Alii porro a veritate magis aberrantes ſub ipſo Carolo Calvo collocarunt poſt Benedictum III. Tandem nonnulli ſub Carolo Craſſo III. Imperatore poſt Joannem VIII.

Quæ omnia ſi cui non arriſerint, is potius teneat collocatam Papiſſam inter Leonem IV. & Benedictum III. ex errore accepto Leone IV. pro Leone III. ſub quo collectio Iſidoriana prodiit. Leo enim III. ſedit eodem ſæculo IX. ineunte ab anno ſcilicet 795. ad annum 816. quo tempore floruit Riculfus Iſidorianæ collectionis divulgator, qui, ut ſupra monuimus, Epiſcopatum Moguntinum tenuit ab anno 785. vel 787. uſque ad annum 814. vel 815. Igitur fieri potuit, ut Joanna primum diceretur ſediſſe ſæculo IX. poſt Leonem nempe III. & deinde hoc Leone accepto pro IV. inter hunc, & Benedictum III. collocata fuerit. Eoque magis hæc hallucinatio contingere potuit, quod ipſe Leo III. a quibuſ-

buſdam IV. dicebatur, qui vel alium Leonem III. inter Sergium I. & Joannem VI. (*a*) intrudebant, vel alium Leonem I. Liberii ſucceſſorem (*b*) ſomniabant. Hinc etiam fortaſſe factum, ut canon 41. *cau.*2. *q.*7. Leoni III. tribuendus, Leoni IV. a Gratiano tribuatur.

Mirum quantum huic conjecturæ ſuffragatur locus, unde Papiſſa orta dicitur, Moguntia ſcilicet, ubi, ut poſt Blondellum viri eruditi conveniunt, pſeudo-Decretalium opus fuit elaboratum (*c*). Qui-

---

(a) Hunc Leonem, cujus meminit Gotfridus Viterbienſis, Polonus, aliique, eumdem eſſe puto, ac Leonem Archiepiſcopum Ravennatem, qui floruit ſæculo VI. medius inter Archiepiſcopos Sergium I. & Joannem VI. unde ex horum nominum ſimilitudine, per errorem factum eſt, ut inter Roman. PP. Sergium I. & Joannem VI. collocaretur. Ineptit igitur Spanhemius, ſeu Lenſantius dum Anaſtaſium Bibliothecarium negligentiæ arguit, quod hujuſmodi Leonem non memoret.

(b) Alterius hujus Leonis meminit Vincentius Bellovacenſis, quem ſequuntur alii, inter quos Auctor Compilationis Chronologicæ. Et cum is fingatur ſimultates habuiſſe cum S. Hilario Pictavienſi videtur hic confuſus cum S. Hilario Arelatenſi, quem S. Leo M. credens contumacem inſectatus eſt.

(c) Vel ex hoc vide malignitatem Juſtini Febronii, qui ipſis Hæreticis intemperantior ad conflandam Rom. Eccleſiæ invidiam, noſtram Collectionem Romæ conſarcinatam fuiſſe effutit.

Quicumque enim de Papiſſæ ortu mentionem faciunt, Moguntiam ei natale ſolum adſcribunt. Nec obſtat, quod in vulgata Poloni editione dicatur fuiſſe natione *Margantinus*; hoc enim omnes pro mendo habent, & communiter *Moguntinus* legunt. Hinc ipſe Allatius, qui peculiari tractatione noſtram fabellam, ut jam diximus, exploſam voluit, ejus fingendæ occaſionem Moguntiæ natam putet. Atque ætate Wernerii, qui ſæculo XV. floruit, adeo pervulgata res erat, Papiſſam fuiſſe Moguntinam, ut aliqui quos tamen ipſe ſpernit (*a*), paſſim dictitarent, Germanorum nullum ea ex cauſa in Papam eligi. Ex quibus facile putaverim, Marianum Scotum, cum plures annos Moguntiæ fuiſſet, ex confuſa traditione apud Moguntinos ſervata, fabellam, quam primus evulgavit, hauſiſſe.

Papiſſam vero fœminino genere potius dictam conjicimus, ut indicaretur ejus νοθεία & veluti immiſſio in Papatum, ac ſi revera fœmina Pontifex electa fuerit.

(a) Et quidem recte. Nam ſex poſtea fuerant Romm. Pontifices natione Germani ſcil. Stephanus IX. Leo IX. Gregorius V. Clemens II. Damaſus II., & Victor II.

rit. Mulieres enim non modo Pontificatus, ut in omni loco, & apud omnes nationes, ſed apud Chriſtianos & Sacerdotii expertes (a) & omnis Clericalis Ordinis ſemper fuerunt (b); quemadmodum etiam in lege Moſis & a Sacerdotio, & ab omni Levitico Miniſterio arcebantur: ac præterea mulierum genus apud Scriptores frequenter male audit. Hinc Homericum illud:

Ως ουκ αινοτερον, και κυντερον αλλο γυναικος

Uſque adeo nihil improbius, Mulieréque pejus.

Ac conſonat hoc aliud adagium a Diogeniano relatum:

(a) Cujus rei elegantem rationem affert Innocentius III. Cap. *Nova quædam, de Pœnitentiis, & remiſſ.* inquiens: *Quia licet Beatiſſima Virgo Maria dignior, & excelſior fuerit Apoſtolis univerſis, non tamen illi, ſed iſtis Dominus claves Regni Cælorum commiſit.* Neſcio igitur, qua religione imbuti nonnulli ad denotandam potentiam S. Annæ eam pingunt, cui parvulus Jeſus claves tradit.

(b) Hic objici poſſet, fuiſſe olim Diaconiſſas, quæ ad Clerum pertinebant, cum ordinarentur, & quidem per manuum impoſitionem. Scilicet ordinabantur, ſed earum miniſteria ad Miſſæ Sacrificium rationem non habebant, uti habent Clericales Ordines, ideoque nonniſi improprie ad Clerum pertinebant.

Γυναικι μη πιστευε, μηθ' αν αποθανη.

Ne fidem habeas nec morienti fœminæ.

Quod Papiſſa peperiſſe dicitur, denotare videtur ejus illegitimos partus, pſeudo-Decretales ſcilicet. Et ſic quadrat etiam verſus, qui ex Stephano de Borbone, Epitaphii loco, ipſius Sepulchro adpoſitus fuit:

Parce Pater Patrum Papiſſæ prodere partum.

Qui verſus cum Papiſſæ neque mortuæ, neque vivæ proprie aptari potuerit, potius videtur directus alicui Romano Pontifici, ne incautus proderet Papiſſæ partum, falſas Decretales ſcilicet in medium adferendo. Et quidem videtur directus Gregorio IV. Papæ, cum ei in *Alſatia* degenti a Paſchaſio Ratberto oblata fuerunt fragmenta ex merce Iſidoriana cum veris documentis admixta, vel cum illis ſubinde uſus fuit. Ad cujus rei intelligentiam, ſciendum, quod cum anno 833. Lotharius, Pippinus, & Ludovicus iterum in ſuum Patrem Ludovicum Pium Imperatorem conjuraſſent, Lotharius ex Italia, cujus

jus Arbiter erat, Gregorium in Galliam ſecum duxit, ut ſua auctoritate Patrem cum filiis reconciliaret: ſed interim rumor increbuit, Pontificem pro Conjuratis ſtare, excommunicaturum Imperatorem, ceteroſque, qui ei contradicerent. Epiſcopi factionis Imperialis litteras procaciſſimas eidem miſerunt, minitantes, ut in vita ipſius Imperatoris legitur, quod *ſi excommunicaturus veniret, excommunicatus abiret*. His Pontifex reſpondens, ut ipſorum petulantiam retunderet, inter alia ſic ſuam Epiſtolam (*a*) exorditur: *Romano Pontifici ſcribentes contrariis eum in præfatione nominibus appellaſtis, Fratrem ſcilicet, & Papam; dum congruentius eſſet, ſolam ei paternam reverentiam exhibere* (*b*). Locatis ſubinde in Alſatia

 Ca-

(a) Cointius hanc epiſtolam ſuſpectam habet: ſed ejus argumenta leviora ſunt, quam ut confutatione indigeant. Eam igitur pro genuina habemus cum de Marca, Balutio, Natali Alexandro, Gabriele Danieli, Mabillonio, Dupino, aliiſque.

(b) Dupinus *Bibliotheca in Agobardo* de hujuſmodi Gregorii querela hæc habet: *Il trouve d' abord mauvais, que dans la preface de leur lettre ils l' euſſent appellè Frere, & Pape. Il eut voulu, qui ils lui euſſent toujours donnè le nom de Pere comme ſi les Eveques n' avoient pas pris cette qualitè en une infinitè d' occaſions, & dans les lettres memes, qu' ils leur adreſſent.* Sed

Caſtris, Pontifex in illis Lotharii degens, ejus ſuaſu advocavit ad ſe Walam Abba-

---

Sed debebat noſter Criticus diſtinguere tempora, & alia rerum adjuncta, & non ſic temere carpere Pontificem. Primis Eccleſiæ temporibus ſimplicitatem Apoſtolicam redolentibus Epiſcopi *Fratres* ſe invicem appellabant, & a Presbyteris, aliiſque inferioribus, quos etiam *Fratres* vocabant, cœperunt vocari *Papæ*, veluti eorum Spirituales Patres; Patrem enim nomen *Papæ* denotat. Subinde ob ſui primatus excellentiam Epiſcopus Romanus ab ipſis Epiſcopis *Papa* vocari cœpit: ſic anno 315. Epiſcopi Concilii Arelatenſis ſecundam Synodicam ad Sanctum Silveſtrum Epiſtolam ita inſcripſerunt: *Delectiſſimo Papæ Silveſtro*; & anno 349. Urſacius, & Valens Epiſcopi Ariani, qui Sancto Athanaſio ſcripſerant, *Domino Fratri Athanaſio*, Julio Romano Pontifici ſcripſerunt, *Domino Beatiſſimo Papæ Julio*. Ex hac præ ceteris denominatione, qua Romanus Epiſcopus donatus fuit, factum, ut ipſe a Concilio Toletano I. anno 404. bis per antonomaſiam *Papa* fuerit appellatus. Hinc ex antiquo, & novo more ab Epiſcopis dictus modo *Frater*, quo nomine Concilium vulgo dictum Africanum, *Epiſtola ad Boniſacium*, & altera *Epiſtola ad Cœleſtinum* eos compellat; modo *Frater*, & *Papa*, uti Concilium Carthaginenſe ſecundum, *Epiſtola Synodica ad Innocentium*, eum nominat; modo *Papa* abſolute, uti Concilium Milevitanum Sanctum Boniſacium, & Ravennius, Arelatenſis, aliique Epiſcopi Galli Sanctum Leonem ſuis *Epiſtolis Synodicis* ſalutant; modo *Pater* appellatus, quo titulo S.Cyrillus Patriarcha Alexandrinus ad S.Cæleſtinum Epiſtolam dirigit; & præſertim a medio ſeculo V. quemadmodum S.Flavianus & Anatolius Patriarchæ Conſtantinopolitani ſuis *litteris*, & Euſebius Archiepiſcopus Mediolanenſis cum

batem Monaſterii Corbejenſis Sanctitatis opinione celebrem, qui venit, & ſecum

C 3 cum

---

cum Epiſcopis comprovincialibus *Epiſt. Synodica* ad S. Leonem ei ſalutem dicunt, qui etiam binis litteris Synodicis ad eumdem a Conc.Gen. Chalcedonenſi *Pater* vocatus fuit: Acacius item Patriarcha Conſtantinopolitanus ad S.Simplicium ita ſcribit *Domino, ac Sancto Patri* modo *Pater*, & *Papa*; uti idem Leo ſalutatus fuit a Ceretio, Salonio, & Verano Epiſcopis Gallis.

Quin etiam Romanus Pontifex appellatus fuit *Pater Patrum*. Sic ſub finem ejuſdem ſæculi V. Epiſcopi Dardaniæ ſcripſerunt: *Domino Sancto Apoſtolico, & Beatiſſimo Patri Patrum Gelaſio Papæ Urbis Romæ*. Sic Concilium Conſtantinopolitanum anno 519. *Domino noſtro Sancto, ac Beatiſſimo Patri Patrum Archiepiſcopo, & Patriarchæ Hormiſdæ*. *Patrem Patrum* vocarunt eumdem Hormiſdam ſuis *Epiſtolis* Synodus veteris Epiri, Andreas Epiſcopus Prævalitanus, & Anaſtaſia Auguſta. Sic Epiſcopi trium Conciliorum Africæ *Epiſt.* quæ exſtat in Synodo Lateranenſi ſub Martino I. act. 2. ſcripſerunt: *Domino Beatiſſimo Apoſtolico culmine ſublimato S. Patri Patrum Theodoro Papæ, & ſummo etiam Præſulum Pontifici*. Eumdem Theodorum Sergius Cypri Epiſcopus *Epiſt.* quæ exſtat in eadem Synodo Lateranenſi *Patrem* quoque *Patrum* appellavit: ſic Cyrus Patriarcha Alexandrinus ſcripſit: *Proprio Domino per omnia a Deo honorando, atque ter Beatiſſimo, benigno Paſtorum Paſtori, Patri Patrum, univerſali Patriarchæ Sergio*. Qui quidem *Patris Patrum* titulus peculiaris fuit Romani Epiſcopi ob primatus prærogativam. Non me fugit alios Epiſcopos aliquando ita fuiſſe vocatos, veluti S.Gregorium Nyſſenum a Concilio Generali VII. *act. 6.* & Lupum Tricaſſinum a Sidonio Apollinari *Epiſt. I. lib. VI.* Sed hi tali denominatione donati

fue-

cum duxit Paſchaſium Ratbertum Monachum ſuum. Is igitur in vita ejuſdem

---

fuerunt ob merita perſonalia, ita ut ea ad eorum Succeſſores non tranſierit: quin & ipſi nonniſi ſemel ita vocati fuerunt, & quidem non in aliqua inſcriptione per modum tituli, ſed enunciativo modo. Itaque cum uſus invaluiſſet, ut Romanus Epiſcopus *Pater* a cunctis vocaretur, & *Pater Patrum* a multis, vix aliqua exempla Patriarcharum Conſtantinopolitanorum ſupererant, qui eum antiquo more, quamdam æqualitatem affectantes, *Fratrem* vocabant; ut cum Taraſius Patriarcha ſub finem ſec. VIII. binis litteris ad Hadrianum hanc inſcriptionem poſuit: *Per cuncta Sanctiſſimo, & Reverendiſſimo Fratri, & Comminiſtro Domino Hadriano Papæ ſenioris Romæ Taraſius miſericordia Dei Epiſcopus Conſtantinopoleos novæ Romæ in Domino ſalutem*. Sed hic etiam duæ potiſſimum notandæ differentiæ inter Papam, & reliquos Patriarchas in conſcribendis Epiſtolis; quod hi eum *Dominum*, & *Papam* vocant, ille vero nemini eorum unum, vel alterum hujuſmodi titulum tribuit. Sed Hadrianus ita Taraſio ſcribebat: *Dilecto Fratri Taraſio Patriarchæ Hadrianus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei*.

Quin etiam a medio Seculo V. infrequens, & pene abolitus eſſe cœpit inter Epiſcopos præſertim Gallos mos vocandi ſe invicem *Fratres*. Sidonius enim Apollinaris Epiſcopus Arvernorum ad multos Epiſcopos ſcripſit, & neminem niſi ſolius *Papæ* nomine ſalutavit. Et ſic Ruricius Lemovicenſis in more habuit. Tum Ennodius Ticinenſis, & S. Avitus Viennenſis, quorum ille ſolum Romanum Epiſcopum ſub nomine *Papæ* ſalutare conſuevit, & hic etiam eo nomine Conſtantinopolitanum, & Alexandrinum ſalutavit, ceteros ſolius *Epiſcopi* nomine compellarunt. Sanctus deinde Deſiderius Cadurcenſis, & S. Eligius Noviodunenſis, qui nomini *Papae*

dem Walæ ſic habet : *Verebatur Pontifex ab Auguſto , & ab omnibus ſuis ,*

Papæ , quo Epiſcopos honeſtabant , etiam ob ætatis , ſanctitatis , vel eruditionis prærogativam , nomen *Patris* aliquando addebant . Epiſcopi igitur ſub nomine *Fratris* ſcribebant ad Presbyteros , ac etiam ad Epiſcopos ſuffraganeos, vel alias ſibi ſubjectos : ſic S. Sulpicius Archiepiſcopus Bituricenſis ſalutavit Verum Epiſcopum Rutenenſem ſuum ſuffraganeum, cum ipſe ab altero ſuo ſuffraganeo prælaudato ſcilicet S.Deſiderio *Patriarchæ tit.* ſuerit inſignitus : ſic Ebbo Archiepiſcopus Remenſis ſalutavit Halitgarium Cameracenſem , a quo e converſo *Pater* fuit vocatus : ſic Hetti Archiepiſcopus Trevirenſis, qui Froterium Epiſcopum Tullenſem ſine addito *Fratris* ſalutaverat , cum tamen ſe Legatum Ludovici Pii Imperatoris dixit , eum tamquam ſibi ſubjectum *Fratrem* nuncupavit . Si qua alia ſunt exempla Epiſcoporum alios Epiſcopos ſub nomine *Fratris* ſalutantium, ea ſunt ut plurimum, vel Monachorum monaſticum morem retinentium, ut cum S.Bonifacius Archiepiſcopus Moguntinus Ecbertum Eboracenſem ſic appellat, vel peculiaris amicitiæ vinculo conjunctorum , præſertim cum ſenior ad juniorem ſcriberet, uti cum Agobardus Archiepiſcopus Lugdunenſis Bartholomæum Archiepiſcopum Narbonenſem *Fratrem* appellat , qui ejus deceſſorem Hebridium *Patrem* appellaverat . Quæ cum ita ſint , jure ac merito Gregorius queſtus ſuit de inſolentia Epiſcoporum ſe *Fratrem* vocantium ; eoque magis, quod id in contemptum egiſſe videbantur . Vide interim qua confidentia Febronius Dupino liberior *cap. VII.* §.1. *n.7.* hæc ſcripſerit : *Dum ad ſaeculum uſque nonum Epiſcopi etiam fratris titulo Romanos Pontifices compellaſſent ; hi nomen illud ſibi hactenus cum reliquis Epiſcopis comune , nunc faſtidire incipientes , Patris titulum cum excluſione fraternitatis praetendunt . Greg. IV. in epiſt. &c.*

etiam Epiſcopis , qui ſibi pridie (a) *quam veniſsemus dexteras dederant , quod unanimes eſsent ad reſiſtendum his , qui ex adverſo erant , Regibus , Filiis , Principibus , & Populo . Inſuper conſiliabantur firmantes , proh dolor! quod eumdem Apoſtolicum , qui non vocatus venerat , deponere deberent . Quibus auditis Pontifex plu-*

(a) Pater Daniel *Hiſtoria Franciæ Tom. I.* putat , hoc tempore prælaudatam Epiſtolam Epiſcoporum Gallorum ad Gregorium , & ſubinde hujus ad illos , quod & Fleuryus ait, fuiſſe ſcriptas: ſed magis eſt, eas jam antea fuiſſe miſſas. Agitur enim ibi de ſuturo Pontificis ad eos adventu , & de minis illi ab eiſdem factis , ut colligitur cum ex aliis , tum ex hiſce Gregorii verbis : *Deinde ſubjungitis , quia niſi ſecundum voluntatem veſtram venero , non habebo Eccleſias veſtras conſentaneas, ſed in tantum contrarias, ut nihil mihi in veſtris Parochiis agere , & diſponere liceat .* Et deinde: *Si autem non egeritis , aſſenſum conſilio noſtro non præbueritis , honoris veſtri periculo ſubjacebitis .* Verba vero Paſchaſii innuunt adventum Pontificis jam ſecutum , & conſilium exſequendi minas . Præterea cum multum temporis intercedere debuiſſet inter adventum Pontificis in Galliam , & adventum Walæ , & Paſchaſii per longum iter e Monaſterio Corbejenſi in Conjuratorum Caſtra ; non eſt veriſimile Epiſcopos factionis Imperialis tamdiu diſtuliſſe ſcribere . His accedit ſilentium Paſchaſii , qui noſtras litteras memorare debuiſſet , ſi eæ tempore, de quo ipſe loquitur, ſcriptæ fuiſſent. Accedit etiam, quod in tali Epiſtola nihil in medium afferat Pontifex ex monimentis Mercatoris ad rem facientibus, quæ tunc habuerat, quemadmodum affert in alia poſteriori Epiſtola , ut mox dicemus. Hinc conſtat, illam antea fuiſſe ſcriptam.

plurimum morabatur , & verebatur . Vnde Ei dedimus nonnulla SS.Patrum auctoritate firmata , Prædeceſſorumque ſuorum conſcripta , quibus nullus contradicere poſſit , quod ejus ſit Poteſtas, imo Dei, & B. Petri Apoſtoli ire , mittere ad omnes Gentes pro fide Chriſti , & pace Eccleſiarum , pro prædicatione Evangelii , & adſertione veritatis , & in eo eſſet omnis auctoritas D. Petri excellens , & poteſtas viva , a qua oporteret univerſos judicari ; ita ut ipſe a nemine judicandus eſſet . Quibus profecto ſcriptis gratanter acceptis (a) valde confortatus eſt .

Quæ verba licet nihil habeant, quod veris legitimiſque documentis ad Romani Pontificis Primatum pertinentibus convenire non poſſit; tamen valde veriſimile eſt, cum illis nonnulla ex falſis Decretalibus admixta (*b*) fuiſſe . Et reapſe idem Gre-

(a) *Gratanter* accepit Gregorius Monumenta ſibi oblata , quod in eo rerum diſcrimine , quo Epiſcopi factionis Ludovici Imperatoris auſu temerario , imo inſaniſſimo ei minitati fuiſſent excommunicationem, & depoſitionem , ſic videret ab aliis ſuum primatum agnitum , defenſumque.

(b) Opera forſitan Autgarii Archiepiſcopi Moguntini ſtudiis partium Conjuratorum addicti , & Riculfi , qui

Gregorius IV phraſes pſeudo-Decretalium uſurpaſſe,& quidem bona ſide,videtur,*Epiſt.* ad univerſos Epiſcopos,quam ſcripſit in cauſa S.Aldrici Epiſcopi Cenomannenſis (*a*): ut

---

qui merces pſeudo-Iſidori publicaverat,conſanguinei, & in Epiſcopatu ſucceſſoris; quarum mercium & ipſe Autgarius multa per Benedictum Levitam in Capitularia Regum Franc. inſerenda curavit. Sed ne culpæ adſcribas Gregorii, quod eorum fragmentorum ſalſitatem non olfecerit. Ea namque ſic cum veris admixta veri ſpeciem præſeferebant, quod fuerint excerpta ex monumentis legitimis in illis Regionibus conſervatis. Nec tunc erat ars Critices genuina a ſuppoſititiis diſcernendi. Nec Pontificem de his dubitare permittebat donantium qualitas, Walæ videlicet, & Ratberti illuſtrium, & virtute præſtantium Monachorum Corbejæ, ac probabiliter etiam Epiſcoporum factionis Lotharianæ, inter quos eminebat Agobardus Lugdunenſis doctrinæ, ac ſanctitatis fama nobilis, Ebbo Remenſis, qui ſua prædicatione multos Danos ad Chriſti fidem converterat, & laud. Autgarius aulicæ artis peritiſſimus.

(a) Jam notavimus in noſtro *Commentario de Collectione Canonum*, &c. hanc epiſtolam a Cointio in Annalibus Francorum ad ann. 827. tamquam ſpuriam rejectam; ſed immerito, cum, ut uterque Pagius recte obſervat, nil in medium adducat, quod id oſtendat. Sed quoniam Berardus ad Gratian. *Tom. II. part.* II. *cap.* 75. eam denuo in dubium revocare nititur, potiora eorum argumenta expendere non abs re erit. Primo opponunt, quod poſt Aldrici mortem ſingula ejus acta a ſuis diſcipulis deſcripta fuerint, & noſtra Epiſtola minime memoretur, ſed tantum alia Epiſtola minoris momenti ejuſdem Gregorii ad ipſum Aldricum, ut videre eſt *Tom. III. Miſcellaneorum* Balutii, ubi is eorum ex Co-

ut cum de Romana Eccleſia loquens, hæc a Gratiano relata, *Can. xi.* 2. *quæſt.* 6. habet: *Quæ ſic vices ſuas aliis impertivit Eccleſiis, ut in partem ſint vo-*

Codice in Archivo Eccleſiæ Cenomannenſis aſſervato dat exemplum. Tum quod in iiſdem Actis non legitur, Aldricum ab Epiſcopis fuiſſe depoſitum, ſed tantum Cenomanenſem Eccleſiam a militibus adverſus Carolum Calvum pugnantibus fuiſſe occupatam odio Aldrici, qui propterea diſcedere neceſſe habuit: & ſic nulla fuit occaſio eam Epiſtolam mittendi ad Epiſcopos, qua illis mandatur, ut ſine conſenſu Roman. Pontificis ad ejus depoſitionem non veniant. Scilicet ſingula Aldrici Acta habentur in eo Codice, ſed non omnia, cum multa deſiderentur, adeo ut quæ ad illius poſteriores ſpectant annos, omnino deſint. Quare ex eo quod noſtræ Epiſtolæ ibi minime mentio fiat, non ſequitur quod nulla fuerit: eoque magis, quod per extenſum habeatur in Actis brevioribus manu Cheſnii exſcriptis, & in Bibliotheca Colbertina aſſervatis, quorum idem Balutius poſtea Mabillonio copiam fecit. Hunc itaque vide *Tom. III. Analectorum*. Nec majoris ponderis eſt altera objectio, cum noſtri Oppoſitores inſigniter fallantur, dum ponunt Epiſtolam, qua de agitur, reſpicere tempus prælaudatæ perſecutionis, quæ contigit anno 840. quandoquidem data fuit anno 833. cum Gregorius adhuc ultra montes degebat; ſic enim finit: *Data Coblambur* (Oppido Belgii in Gelriæ comitatu) *Octavo Idus Julii ind.* 11. *Quid porro* (inquit Mabillonius) *cauſæ fuerit, cur Aldricus a Gallicanis Epiſcopis abjectus ad Gregorium appellaverit, non facile fuerit divinare. Forſitan id factum ob turbas exauctorationis Ludovici Auguſti, cui erat a confeſſionibus Aldricus, atque adeo addictiſſimus; ob idque forte inviſus factioſis illis Epiſcopis, qui in piiſſi-*

vocati ſollicitudinis , *non in plenitudinem poteſtatis* (a) . Tum habet quæ ſequuntur : *Cum auctoritate Canonum & Præ-*

———

piiſſimum Imperatorem conſpiraverant . Sed prout ex ipſa epiſtola colligi videtur , magis puto Aldricum non fuiſſe abjectum , ſed timuiſſe, ne abijceretur vel deponeretur , & ob id patrocinium Gregorii impetraſſe . Et hæc fuit Gregorio ſcribendi occaſio. Dicit præterea Berardus , non potuiſſe ſine imprudentiæ nota Pontificem Epiſtolam , qua de agitur , mittere : *cum ea ſe immiſcuiſſet turbatiſſimis rebus* , *quibus Regibus fratribus diſſidentibus*, *& Epiſcopis in factiones diviſis Gallia* , *& Germania concutiebantur* . Ergo ne Epiſcopus Aldricus relinquendus erat obnoxius calumniis , & oppreſſionibus , quibus facili negotio impeti poterat? Demum dicit Berardus ipſam inſcriptionem Epiſtolæ ſic conceptam : *Univerſis Coepiſcopis per Galliam* , *Germaniam* , *Europam* , *& per univerſas Provincias conſtitutis* , eam reddere ſuſpectam; cum ſupervacaneum fuerit adjungere *Europam* , *& univerſas Provincias* . Scilicet Gregorius ex abundantia cordis, benevolentiæ erga Aldricum (cujus ſingularis benevolentiæ teſtis eſt altera ſupra memorata epiſtola Pontificis ad eumdem Aldricum) pleni, ad exuberantiam quemadmodum in ea Epiſtola prolixior fuit , quam neceſſe erat , ita hujuſmodi adjunctionem fecit , ut ſi forte Aldricus ab Epiſcopis Galliæ , & Germaniæ , inconſulta S. Sede , deponeretur , ſcirent omnes nulliter eſſe depoſitum, & uti Epiſcopum habendum, & tractandum .

(a) Hæc Gregorius mutuatus fuit ex additamento a pſeudo-Iſidoro facto epiſtolæ Vigilii Papæ ad Profuturum, ſeu Euterium: in quo ex verbis epiſtolæ XIV. S.Leonis M. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem ſuum per Illyricum Vicarium, ad alium modum accommodatis, ea ipſe Mercator poſuerat .

& Prædeceſſorum noſtrorum Decretis ſancitum ſit, ut Epiſcopus accuſatus, ſi voluerit, appellet Romanum Pontificem, & ad eum, ſi libuerit, confugiat (a). Iiſdem fragmentis uſi videntur, qui deinceps ſederunt Pontifices Mercatoris loquendi modum imitantes Sergius II. (*b*) Leo IV

(a) Hic enim loquendi mos eſt pſeudo-Decretalium, nec in genuinis Canonibus, & Decretalibus habebatur: neque in his de hujuſmodi appellationibus accuſatorum Epiſcoporum ſic mentio fiebat, ſed jam dejectorum, vel damnatorum; licet & illorum provocatio ex eorumdem genuinorum Canonum, & Decretalium interpretatione, ſi cauſa ſuberat, locum quoque habere potuiſſet.

(b) *Epiſtola ad Epiſcopos Tranſalpinos*, ubi hæc habet: *Salvo in omnibus hujus Univerſalis Romanæ Sedis primatu noſtri Præſulatus honore*. Hic dicendi modus minime uſitatus fuerat deceſſoribus Pontificibus. Sed S. Innocentius *Epiſt.* ad Victricium, & ex eo Pſeudo-Marcellus ut in ſimili dixerat: *Sine præjudicio tamen Rom. Eccleſiæ, cui in omnibus cauſis debet reverentia cuſtodiri*; ut ut hæc ultima verba genuina ſint. Balutius *adnot. ad* Capitularia *pag.* 1334. putat Sergium memorata verba *ſalvo &c.* exſcripſiſſe ex Capitulis ad Angilramnum Hadriano Papæ tributis, ubi cap. 8. habetur: *Salvo Romanæ Eccleſiæ in omnibus primatu*. Sed falli videtur, cum ea Capitula, ut demonſtravimus in *Diatriba* de eiſdem, neque ad Hadrianum, neque ad Angilramnum pertineant, ſed poſt Sergii ætatem fuerint conficta; & ſic potius illorum auctor ex Sergio exſcribere potuit, quam hic ex illo. Magis igitur eſt ut dicamus, Sergium eum loquendi modum hauſiſſe ex fragmentis pſeu-

IV. (*a*), Benedictus III. (*b*), aliique multi, cum, ut in noſtro laudato *Commentario* demonſtravimus, integra Mercatoris Collectio nonniſi multo poſt tempore Romam pervenerit: nec conſtat ex ea aliqua alia illos aliunde habuiſſe.

Cum igitur Gregorius IV. habuit hujuſmodi Mercatoris fragmenta, vel cum iis uſus fuit, veriſimillimum eſt, tunc ab impoſturæ, fraudiſque conſciis ſupraſcriptum verſum: *Parce Pater Patrum*

---

pſeudo-Decretalium, ubi illa paſſim adhibetur, veluti ſub nomine Higini *Epiſt.* 1. *cap.* 2. & ſub nomine Nicæni Concilii *can.* 14. apud pſeudo-Julium: *Salvo in omnibus Romanæ Eccleſiæ privilegio.* Quod vero Sergius dixerit *primatu* potius, quam *privilegio*, forſitan uti ſimul etiam voluit modo loquendi S. Innocentii *Epiſt.* ad Ruſum, ubi de Metropolitis ait: *Salvo eorum primatu.*

(a) *Epiſtola ad* Epiſcopos Aremoricæ a Gratiano rel. *Can. ultimo*, 1. *quæſt.* 4. ubi hæc habentur: *Et ſi inter eos, quos damnandos eſſe dixerint homines, fuerit Epiſcopus, qui ſuam cauſam in præſentia Romanæ Sedis Epiſcopi petierit audiri, nullus ſuper eum finitivam præſumat dare ſententiam.* Si quis vero maluerit, Leonem hoc decreviſſe non ex pſeudo-Decretalibus, ſed jure ſui Patriarchatus, vel ex peculiaribus illius ſpeciei adjunctis, non repugno. Quidquid de hoc ſit, ſi tamen Epiſtola Leonis cum prima pſeudo-Zephirini conferatur, videtur Pontifex hanc, vel ejus partem ſub oculis habuiſſe.

(a) *Epiſtola ad Hincmarum*, ubi ita loquitur: *Salvo in omnibus jure Apoſtolicæ Sedis.*

trum &c. fuiſſe compoſitum , eique directum , uti & ſimiles veluti illum ab aliis relatum , tamquam a Diabolo exclamante dictum in Conſiſtorio Papiſſæ, & Cardinalium, cum illa peperit :

Papa Pater Patrum , Papiſſæ pandito partum .

Qui idem verſus cum altero Leonino refertur ab aliis , tamquam reſponſum a Diabolo datum Papiſſæ exorcizanti obſeſſum , illumque interroganti , quando de ejus corpore exiret :

Papa Pater Patrum , Papiſſæ pandito partum :
Et tunç tibi edam , de corpore quando recedam .

Sic & ſequentes ab aliis relati :

Papa Pater Patrum , Papiſsa peperit partum .
Papa Pater Patrum , peperit Papiſsa Papillum .

Quam quidem conjecturam mire confirmat , quod in illis Papa ſemper *Pater Patrum* dicatur . Videtur enim veluti digito commonſtrata Gregorii querimonia, quod ab Epiſcopis factionis Imperialis , *Frater* fuerit appellatus , & non *Pater* .

Non

Non parum etiam facit ad noſtram conjecturam confirmandam, quod de *Joanna Papiſſa* dicitur, fuiſſe nempe *Anglam*, & natione *Moguntinam*. Cum enim id repugnet (*a*), videtur per ænigma dictum ad indicandam impoſturam Moguntiæ factam a latente ſub Iſidori Mercatoris larva *Joanne Anglo* ita dicto, non quidem cognomento, ut perperam putavit Junius (*b*), aliiqne qui fabel-

(a) Et quidem maxime repugnare, ac ut Scholaſtici loquuntur, implicare in terminis videtur, quod fuerit *Angla*, & nata *Moguntiæ*: ex quo multi hoc argumentum maximi fecerunt ad noſtram fabellam explodendam, Scrarius cum primis, qui *Lib.* 1. *Rerum Moguntin. n.* 5. inter alia hæc habet: *Ehodum diceret ille Plautinus, numquid in Anglia eſt Moguntia? Qui Moguntinus eſt, olim quidem Gallus erat, nunc Germanus eſt. An vero Anglus, & Britannus umquam? Non magis profecto, quam Perſa, vel Indus, vel Egyptius.*

(b) In cujus ſuæ opinionis confirmationem ait: *Eodem cognomine frequens adhuc familia ſupererat (Germanis Enghel) in ditione Palatina ad Moguntiacum: & mihi quoque plures cognomines eo tractu fuerunt noti.* Seb ubi didicerat Junius, nono ſæculo in illis regionibus fuiſſe cognomina? Notum eſt lippis, & tonſoribus cognominum uſum Barbarorum moribus abolitum, eo tempore adhuc non fuiſſe reſtitutum. Potius dicere poterat, τὸ *Anglicum* fuiſſe agnomen ſeu nomen adſcititium, quod Joannes ex aliquo accidenti fuerit ſortitus, ut Rabanus dictus *Maurus*, Walfridus dictus *Strabo*, Radbertus dictus *Paſchaſius*. Sed hoc probare debuiſſet; cum talia agnomina

bellam pro hiſtoria habuerunt, ſed ab origine. Anglos enim plurimos tunc Moguntiæ fuiſſe ſuadet primo, quod hujus primus Archiepiſcopus S. Bonifacius, ejuſque ſucceſſor S. Lullus, qui Epiſcopatum tenuit ad annum uſque 785. fuerant Angli: unde alios ex ſua natione ad ſe eos traxiſſe, admodum veriſimile ſit. Suadet præterea qualitas ipſius Urbis, quæ erat veluti Caroli Magni Regia, præſertim quod Alcuinus & ipſe Anglus apud eumdem Imperatorem gratia multum floreret, & multi Britones illum convenirent. Lepida eſt querela Turonenſium Monachorum, quam ex Alcuini vita refert Cointius ad ann.

mina rara fuerint: atque, ut Mabillonius *Lib. II. de Re diplom. cap. VII. n. 12.* obſervat: *Qui ſic duo habebant nomina, alterutrum ut plurimum, non duo ſimul uſurpabant.* Nec denique occurrit per ea tempora exemplum impoſiti alicui nominis a loco, in quo is ortus non fuerit. Hinc corruit argumentum ab exemplo Guitmundi petitum, quo utitur Cook Poſſevini auctoritate fretus, qui in *Apparatu Sacro* ait: *Guiſmundus cognomento, non natione Nortmannus.* Fallitur namque Poſſevinus ita ſcribens, cum *Guitmundus* fuerit revera natione *Nortmannus*, & ex Monaſterio S. Leofredi in Diœceſi Ebroicenſi cum ſuis Nortmannis in hanc noſtram regionem venerit, & Epiſcopus Averſanus creatus fuerit.

804. n. 73. per hæc verba : *Turones , ut Alcuinum inviſeret , acceſſit Rigulfus Presbyter Engelſaxo ; cumque prope januam domus , quæ Abbatis erat, jam adſiſteret , eo viſo, quatuor e Turonenſibus Fratribus ſimul juncti : Venit , inquiunt ad invicem , iſte Brito , vel Scoto ad illum alterum Britonem , qui intus jacet: O Deus , libera iſtud Monaſterium de iſtis Britonibus . Nam ſicut apes undique ad matrem revertuntur, ita omnes ad iſtum veniunt .* Quin cum Alcuino alios Anglos advocatos ad erudiendam Galliam notat (*a*) Mabillonius *Præfatione in Sæc IV.Bened.* §. *VIII. n.* 175. Neque ſilentio prætereunda Alcuini cum ſupra memorato Riculfo amicitia,uti teſtatur illius ad hunc Epiſtola,quem vocat *Dametam*; ut facile potuerit aliquis ex illius aſſeclis , vel popularibus in hujus familiaritatem ſe inſinuare .

Nec minoris illud æſtimandum , quod ea Natio, licet aliis nominibus commen-

(a) *Donec Carolus Magnus ea poſtliminio excitavit denuo , invitatis in Galliam litteratis viris , Alcuino , aliiſque Anglis , qui acceptam ex hoc Regno eruditionem , ac doctrinam Gallis tandem viciſſim refunderent .*

mendabilis eſſet, illius tamen Scriptores apud Antiquos ſuſpectæ fidei habebantur, ut obſervat idem doctiſſimus Mabillonius (*a*) *Præfat. in Sæculum* I. *Bened. n.* 15. Atque huc revocanda, quæ in ſæpius lau. *Commentario de Collectione Canonum* &c. notavimus de ſuppoſitione monumentorum ad Primatiam Cantuarienſem ſpectantium; de eo, quod ſcribit Richardus Archiepiſcopus Cantuarienſis circa exemtionem Monaſteriorum (*b*); & de interpolatis Canonibus in *Excerptionibus* Egberti, Archiepiſcopi Eboracenſis. Igitur hic etiam facit ad magis ſuadendum, pſeudo-Iſidorum

D 2 fuiſſe

(a) *Quibuſdam nihilominus magis innatum eſt, quidlibet fingendi, ſeu credendi vitium ex ſoli natura, quod Aremoricis, Anglicíſque vitarum ſcriptoribus plures jam impegerunt. Vetus eſt Petri Cellenſis querela in quadam Epiſtola ad Nicolaum Monachum Anglum* : Inſula eſt *inquit de Anglia*, circumfuſa aqua : unde hujus elementi propria qualitate ejus incolæ non immerito afficiuntur, & nimia mobilitate in tenuiſſimas, ac ſubtiles phantaſias frequenter transferuntur, ſomnia ſua viſionibus comparantes, ne dicam præferentes.

(b) Licet enim Richardus ſupra relatus in eo *Commentario pag.* 172. *n.* 2. generatim loquatur, ejus tamen verba ſolum, vel potiſſimum intelligenda ſunt de Monaſteriis Angliæ, de quibus agebatur, & quorum pleniorem notitiam habere poterat.

fuiſſe Anglum, quod is ex hujuſmodi *Excerptionib. Canonum* Egberti Archiepiſcopi, cujus Alcuinus fuerat Diaconus, ſuppoſititia ad ſuam rem facientia non pauca corraſerit; ac præterea artem ipſam ſcripta ſive genuina, ſive ſuppoſititia interpolandi, atque ſtudium conſulendi commodis accuſatorum Clericorum, hauſiſſe videtur ex Schola ejuſdem Egberti, ſeu potius Hucarii Levitæ, qui & ipſe Anglus ex Egberti Opere inſcripto, *De Sacerdotali jure*, praelaudatas *Excerptiones*(*a*)concinnavit. Ut enim notavimus eodem *Commentario*, ex talibus Excerptis tranſcripſit fragmentum fictæ *Epiſtolæ* S. Gregorii M. ad Felicem Meſſanenſem *de Gradib. cognat.* illudque ſuis ſolitis cantionibus auxit: inſuper & eiſdem paſſim uſus fuit ſententiis interpolatorum Canonum ad rem judiciariam pertinentium (*b*), nempe *Canonis* 48. qui præ-

---

(a) Num vero hujuſmodi interpolationes ſint etiam in eo Opere *de Sacerdotali jure*, omnino me fugit, cum illud mihi videre non licuerit. Sed eſto ſint, ne credas eas ab ipſo Egberto viro optimo factas, ſed alterius opera, manuque aliena.

(b) Hujuſmodi ſtudium interpolandi Canones ad Judicia ſpectantes excitatum fuit in aliquo Clerico

præſefert titulum: *Canon Romanus* (*a*); *Canonis* 140. inſcripti: *Vigilius Papa*, *ex Concilio Carthaginenſi*, *Gregorius* (*b*); *Canonis* 141. cujus Epigraphe: *In Nicæna Synodo* (*c*); & *Canonis* 142. cui in-

co Eccleſiæ Eboracenſis ex cauſſa forſitan longiſſimæ, & truculentiſſimæ perſecutionis ad ejectionem uſque, quam paſſus fuerat S. Wilfridus ſenior Archiepiſcopus, qui tandem requietem aſſecutus obiit anno 709.

(a) *Si in qualibet Provincia exortae fuerint quæſtiones, ad majorem Sedem, vel Synodum, ſeu etiam ad Apoſtolicam Sedem Romæ referantur.*

(b) *Quis cum ad judicium venerit, ſi noluerit Clericus, & neceſſe fuerit, induciæ ei petenti a Patribus conſtitutæ abſque impedimento concedantur, & Judices ſelecti tribuantur. Si ibi vim aliquam temerariæ multitudinis metuerit, locum in congruum eligat, quo abſque timore ſuos, ſi neceſſe fuerit, teſtes habere, & abſque impedimento ſuam canonice ſententiam finire valeat; quia multa pro ſubreptione evenire ſolent. Sententiam, Fratres, quae miſericordiam vetat, non ſolum tenere, ſed etiam audire refugite; quia potior eſt omnibus holocauſtis miſericordia. Non itaque agendum in Eccleſiaſticis negotiis, ſicut in Secularibus; nam in Secularibus priuſquam qui legibus eſt coactus, venerit, & decertaverit, & reſponſum dederit, ante peractam cauſſam non poteſt recedere; in Eccleſiaſticis vero dicta cauſſa licet recedere, ſi neceſſe fuerit, aut ſi ſe prægavari viderit.*

(c) *Statutum eſt, quod Judices non alii Synodo deberent eſſe, niſi quos ipſe, qui impetitur, elegerit, aut quos conſenſu ſuo ejus Primates auctoritate hujus Sanctæ Sedis conſtituerint; quia indignum eſt, ut ab externis judicetur, qui Provinciales, & a ſe electos debet habere Judices.*

inſcriptio: *Romanum Concilium* (*a*). Ubi obſervandum, tantam eſſe interpolationis factæ a Mercatore ſimilitudinem cum interpolatione ſententiarum Egberti, ut Blondellus, qui hunc ignoravit, eas illi adſcribere non dubitaverit.

Hinc datur non leviter conjicere, cur ex Iſidorianis Litteris, quæ ad omnes nationes directæ cernuntur, nulla ad Britannos, vel Anglos inſcripta ſit; ut ſcilicet earum auctor ſuæ gentis incurioſus, & veluti oblitus ſe magis ſub Hiſpano nomine abſconderet; vel ut, cum aliis illuderet, ſuæ genti parceret. Et ſane mirari ſubit, quod in tanta rerum farragine numquam Britanniæ, vel Angliæ fiat mentio; præſertim cum non ſemel data fuerit occaſio illam memorandi. Eam primo, & in primis dabat Pontificalis in Eleutherio, ubi ait: *Hic ac-*

(a) *Tempore Conſtantini Auguſti congregavit Silveſter primam Synodum Romæ cum 73. Epiſcopis, quorum conſenſu, & ſubſcriptione conſtitutum eſt: Ut nullus laicus Clerico cuiquam audeat inferre teſtimonium; ergo laici adverſus Clericum non recipiantur. Accuſatores conſanguinei, nec familiares, nec domo prodeuntes adverſus extraneum teſtimonium non dicant; nec accuſatores, nec teſtes ſuſpecti recipiantur, quia propinquitatis, aut dominationis*

accepit Epiſtolam a Lucio Britannico Rege, ut Chriſtianus efficeretur per ejus mandatum. Subditque Beda *Lib.* 1. *Hiſtoriæ Angl. cap.* 4. hæc verba: *Et mox piæ petitionis effectum conſecutus eſt.* Nam, eodem Beda teſte, Eleutherius Donatianum, & Fugatium quaſi Apoſtolos, ad illum miſit (*a*). Quæ opportunior occaſio fingendi eam Epiſtolam, ac inſuper reſcriptum ſub nomine Eleutherii (*b*) ad Lucium? Cur Mercator hæc nil curat? Cur, ut ſolet, hic ſui dilectiſſimi Pontificalis veſtigia non

(a) Quæ Pontificalis, & Beda narrant de Fide Chriſti Domini tempore Lucii Regis, & Eleutherii Papæ petita, & in Britanniam invecta, confirmantur ex Tertulliano illius temporis ſcriptore, qui *Lib. adverſus Judæos cap.* 7. ait: *Britannorum inacceſſa Romanis loca, Chriſto vero ſubdita*: ac confirmantur ex Origene *hom.* 6. *in Lucam*. Vide Blanchinii eruditiſſimas notas ad hunc Pontificalis locum.

(b) Epiſtolæ vero Eleutherii ad Lucium confictum exemplum, quod Uſſerius *de Britan. Eccleſ. primordiis cap.* 6. ex quinque mſſ. fide expreſſit, Iſidori noſtri ætate eſt omnino poſterius; ac illud, ut idem Uſſerius obſervat, primus dedit interpolator Legum Eduardi Confeſſoris cum hac epigraphe: *Anno CCXIX. a paſsione Chriſti ſcripſit Dominus Eleutherius Papa Lucio Regi Britanniæ ad correctionem (vel petitionem) Regis, & procerum Regni Britanniæ.*

premit (*a*)? Occaſionem item dabat S. Proſper in *Chronico*, ubi *ſub Conſulibus anni* 429. ait : *Cæleſtinus* (*Papa*) *Germanum Altiſiodorenſem Epiſcopum vice ſua mittit, &, deturbatis hæreticis, Britannos ad Catholicam fidem dirigit.* Dabat tandem idem Pontificalis in S. Gregorio, ubi de eo ait : *Miſit Servos Dei Mellitum, Auguſtinum, & Joannem, & alios plures cum eis Monachos timentes Deum in prædicationem ad gentem Anglorum, ut eos converterent ad Dominum Jeſum Chriſtum*. Et licet S. Gregorius in ſuo Regeſto Epiſtolas multas ſcripſerit ad hujuſmodi Auguſtini in Angliam miſſionem ſpectantes, poterat nihilominus Pſeudo-Iſidorus, alia more ſuo miſcere ; præſertim cum de memorato Joanne nullus præter Librum Pontificalem faciat mentionem. Atque hinc etiam

(a) Uti notavimus *Commentario de Collectione Canonum* &c. pſeudo-Iſidorus occaſiones fingendarum Epiſtolarum ſumit ex iis, quæ habentur in libro Pontificali, nec aliam omittit, niſi hanc fingendi Epiſtolam ad Anglos ſeu Britannos. Nec dici poteſt nomen Eleutherii Mercatori excidiſſe ; cum ſub eo nomine ex eodem Pontificali finxerit Epiſtolam ad Epiſcopos Galliæ *De Eſcis uſualibus*.

etiam conjicere eſt, quare Rabanus, licet emunctæ naris non fuerit, ut vera a falſis monumentis diſcerneret; tamen illis Mercatoris numquam fuit uſus, nimirum quod cum is fuiſſet Alcuini diſcipulus, facile poterat illius popularium facta ſcire; ut proinde a Pſeudo-Iſidori fraudibus ſibi caverit.

Ceteras circumſtantias, quæ de Joanna Papiſſa referuntur, non moror; eæ namque ut fieri ſolet, facile adjungi potuerunt. Sed illud, quod dicitur, eam Joannam Athenis ſtudiis litterarum, quæ illinc jamdiu abierant, vacaſſe, denotare videtur, noſtram Collectionem compoſitam ex monumentis variarum nationum, Græciæ præſertim, quatenus ejus eruditionem illius Auctor non obſcure affectat in Præfatione, cum ait: *Quod ſi veritas eſt quærenda e pluribus, Græcorum ſequamur ſtylum, eorumque imitemur editiones, atque exemplaria*. Sic Joannes Scotus Erigena eo quod linguam Græcam callebat, dictus fuit Athenis ſtuduiſſe. Illud etiam non temere adjungendum putamus, quod habet Stephanus de Borbone, ementitam Papiſſam artem *notandi*

tandi (*a*) calluiſſe, & Romæ antequam ad Cardinalatum, & deinde ad Papatum adſcenderet, egiſſe Notarium. Hoc enim ſignificare videtur, Iſidorum noſtrum fuiſſe auctorem, vel ſaltem propagatorem *Formatarum*, de quibus egimus eod. laud. *Commentario pag.* 16. *adnot.* 2. hæ namque notis, numeriſque ſunt vallatæ: vel potius denotat ipſum ſuppoſitione falſarum Decretalium induiſſe non modo fictam Perſonam Papæ, verum etiam Notarii; litteræ enim Romani Pontificis manu Notarii antiquitus exarabantur. Vide Rigantium *ad Regulam* 58. *Cancellariæ n.* 73.

CAP.

(a) Apud Echardum, & Quetifium ſupra laud. loco legitur ita abbreviatum *nondi*, & inter parentheſes diverſo charactere ſubditur: *Quod divinet Lector*. Sed nullus dubito, legendum *notandi*, quod apertiſſime mihi deſumi videtur ex iis, quæ infra ibidem habentur: *quod facta eſt Notarius Curiæ*. Hoc enim ſibi vult *notare*, *ſcribere*, ſeu *exſcribere notis*, & per compendia litterarum: unde nomen *Notarii*, quod dabatur iis, qui hujuſmodi artem callebant. Tanta erat Notariorum in notando celeritas, ut eorum manus ſequeretur velocitatem linguæ, imo & præveniret; hinc Martialis XIV. 208. cecinit:

Currant verba licet, manus eſt velocior illis:
Nondum lingua, ſuum dextra peregit opus.

CAPUT III.

De Joanne Anglo ſub Iſidori Mercatoris nomine latente.

SI conjecturis conjecturas addere, & ex rebus obſcuris aliquod lumen haurire licet, Jo: Anglum, qui ſub Mercatoris larva deliteſcebat, ſuſpicor quemdam forſitan eſſe ex iis, qui Scriptorum partim imperitia, partim oſcitantia cum famoſo Joanne Scoto, *Erigena* dicto confuſi videntur. Horum unus eſt, quem Anonymus apud Vincentium Bellovacenſem in *Speculo Hiſtoriali lib. XXIII. cap.* 173. quem multi alii fuerunt ſequuti, non levi anachroniſmo facit Bedæ diſcipulum, & cum illo confudiſſe videtur. Ait enim: *Alcuinus ſtudium de Roma Pariſios tranſtulit, quod illuc a Græcia translatum fuerat a Romanis; fueruntque Pariſiis fundatores illius ſtudii quatuor Monachi Bedæ diſcipuli, ſcilicet Rabanus, & Alcuinus, Claudius, & Jo: Scotus*. Quam multa paucis hiſce verbis Anonymus perturbet, ac confundat, jam notarunt Viri eruditi. Sed ex iis aliquod ar-

argumentum ad veritatem detegendam forſitan depromi poteſt. Nam quemadmodum Claudium Hiſpanum cum Clemente Scoto (a), unde emerſit Claudius Clemens (b), ſunt qui hic confuſum credunt, & unum ab altero diſtinguunt; ſic non pauci poſt Trithemium, ut Baleus, Pater Cellotius, aliique duplicem faciunt Jo: *Scotum*, unum nempe antiquum Alcuini, & Caroli M. ætate florentem, qui fuit Bedæ diſcipulus, ſeu verius diſcipulorum ejus; & alterum recentiorem, qui floruit ſub Carolo Calvo, & quem Trithemius *Erigenam* vocat. Hunc ex teſtimonio coætaneorum Scriptorum S. Nicolai I. Papæ, Hincmari Remenſis & Anaſtaſii Scotum fuiſſe conſtat, ſeu Hibernenſem; nam

---

(a) Hujus Clementis meminit Anonymus S. Galli Monachus initio *Lib.* 1. *de Geſtis Caroli M.* de quo ait: *Qui e duobus Scotis eruditis unum, ſcilicet Clementem, in Gallia reſidere præcepit, alterum in Italiam direxit.* Et Mabillonius *Lib. XXIX. Annal. Bened. n.* 26. narrat ad hunc Clementem miſſos a Ratgario Abbate Modeſtum, & Candidum cum aliis in Galliam, grammaticam addiſcendi gratia.

(b) Morerius etiam Claudium Clementem dicit, ſed eum Hiſpanum facit. Sed Dempſterus ſtudio ampliandi numerum Scriptorum ſuæ nationis, duos Claudios Clementes facit, & utroſque Scotiæ adſcribit

nam Hibernenſes *Scotorum* nomine aliquando venerunt ; & hoc denotare videtur nomen (*a*) *Erigena*, quo eum Trithemius donavit. Sed prior, ut ex Scola Bedæ, magis eſt, quod fuerit Anglus, & ideo *Scotus* dictus, quia cum Scoto fuerat confuſus.

Dempſterus præterea in *Hiſt. Eccl. Scriptorum Scotiæ* tertium addit Joannem *Scotum Mailroſium* nuncupatum, quem facit Clementis Scoti ſocium, & Caroli M. juſſu Academiam Ticinenſem fundaſſe putat, atque hunc etiam cum notiſſimo Joanne Scoto confuſum fuiſſe advertit. Sed hic *Mailroſius*, ita dictus a loco Scotiæ, & Angliæ contermino, non magis *Scotus*, quam *Anglus* dici poteſt. Et ſic non tantum unum, ſed duos habemus in Gallis *Joannes Anglos* Alcuini, & Caroli M. ætate, quorum alterutrum, ſi hariolari fas eſt, *Mercatoris* larvam forſitan aſſumpſiſſe dicimus. Nec mira videri debet hujuſmodi nomi-

---

(a) Licet enim aliqui nomen *Erigena* deducant ab *Ergene* loco Angliæ in confiniis Walliæ, & alii ab *Aira* loco Scotiæ ; veroſimilior tamen eſt opinio eorum, qui illud deducunt ab *Erin*, quo nomine apud Incolas *Hiberniæ* venit.

minum confuſio; nam idem Joannes Scotus Erigena confuſus fuit cum Joanne Abbate Æthelingenſi, quin etſi hæreticus fuerit (*a*), confuſus fuit etiam cum S. Martyre Joanne Malmesburienſi, qui *Sapiens* appellabatur. Hinc cum titulo Martyris videtur ſcriptus in ſupplemento Martyrologii Uſuardi editi a Jo: Molano Antuerpiæ anno 1583. Vide Natalem Alexandrum *Diſſert.* XIV. *ad ſæculum* IX. §. III. Igitur nullo pacto ferri poteſt temeritas Guilielmi Cavei, qui queritur, Joannem Scotum eſſe expunctum e Martyrologio Romano, ubi ait: *Certe martyribus, & Sanctis poſt mortem annumeratus locum in Martyrologio Romano per multa tenuit ſæcula* (*b*). Joan-

(a) Multa enim contra Catholicæ Fidei veritatem docuit, & præcipue contra Tranſubſtantiationis Myſterium; unde ab hæreticis noſtri temporis miris laudibus extollitur. Neque audiendus Dempſterus, qui ſtudio partium ſuæ nationis nimium addictus hanc ab eo maculam eluere nititur, & contra omnium antiquorum auctoritatem negat Scotum, quem popularem ſuum facit, talia docuiſſe.

(b) Debuerat Caveus hujus quam longiſſimæ poſſeſſionis, quam Scotum habuiſſe dicit in Martyrologio Romano, dare aliquod documentum, vel indicium; ſed nullum dat, nec etiam breviſſimi temporis. Non me fugit, laudari ſolere Martyrologium Romanum

Joannes itaque a natali ſolo *Anglus* vocatus diverſus a ſamoſo Joanne Scoto *Erigena* dicto, cum Flacco Alcuïno (*a*), vel

num impreſſum Antuerpiæ anno 1586. in quo dicitur hæc haberi: *Eodem die S. Joannis Scoti, qui graphiis puerorum confoſſus martyrii coronam adeptus fuit.* Addit Fuller in *Hiſtoria Angliæ*, modo dictum Martyrologium Antuerpiæ fuiſſe impreſſum juſſu Papæ Gregorii XIII. Sed immane quantum fallitur, vel fallere vult. Etenim etſi demus, in eo Martyrologio eſſe relata verba, quod me neſcire fateor, adeo falſum eſt, illud juſſu Gregorii XIII. fuiſſe impreſſum, ut potius contra ejus præceptum, & voluntatem id factum fuerit. Idem enim Pontifex *Litteris in forma Brevis datis die 14. menſis Januarii anni* 1584. & præmiſſis *Martyrologio Rom.* editionis Rom. ejuſdem anni hæc ſtatuit: *Mandamus igitur omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, ceteriſque Eccleſiæ Monaſteriis, Conventibus, Ordinibus ſive Secularibus, ſive Regularibus quibuſcumque Præfectis, ut in peragendo divino officio, omni alio Martyrologio amoto, hoc tantum utantur, nulla re addita, mutata, ademta. Si quos alios habuerint Sanctos in ſuis Eccleſiis, aut locis celebrari ſolitos, eos in hunc librum non inſerant, ſed ſeparatim deſcriptos habeant.* Cum igitur in hoc Martyrologio Joannis Scoti mentio facta non fuiſſet, quo modo dici poteſt, eam poſt biennium factam fuiſſe juſſu Gregorii XIII. in *Martyrologio* Antuerpiæ impreſſo?

(a) Cum diximus, Joannem Anglum Alcuini fuiſſe aſſeclam, ne credas, Alcuinum, non modo eruditione, ſed etiam moribus præſtantem, illius fraudis fuiſſe aliquo modo participem; eoque magis quod hujuſmodi admiſsæ fraudi videtur præmortuus. Quin cum Alcuinus talis Joannis in ſuis Epiſtolis, alibique numquam meminerit, non levi argumento eſt, eum non magni feciſſe.

vel ſub illud tempus videtur in Gallias veniſſe: cum vero Moguntiæ (quæ tunc ad illas pertinebat) degeret, ſub nomine *Iſidori Mercatoris*, vel *Peccatoris* collectionem Canonum , & Decretalium , concinnaſſe: ſeu,ut verius dicam,eam ex Hiſpania allatam ſuppoſititiis monimentis,Decretalibus præſertim, oneraſſe; unde ficta fabula *Papiſſæ* natæ Moguntiæ,quæ dicebatur *Joannes Anglus* . En igitur quo facto aliquid veri latuit in fabula *Papiſſæ Joannæ* . Atque utinam non latuiſſet ! Confuſionem , & deformitatem in rem Canonicam non importaſſet (*a*) : ad contaminandam Eccleſiaſticam diſciplinam non contuliſſet (*b*): neque Hæreticis occaſionem dediſſet Eccleſiam Catholicam calumniandi: neque eiſdem, ac quibuſdam degenerantibus Catholicis anſam prebuiſſet in Sedem Apoſtolicam invide injurioſeque debacchandi , ejuſque Pontifices temere rabideque proſcindendi .

FINIS.

(a) Et ſane Mercatoris ſuppoſititii Canones, et Decreta, a genuinis diſcordantes, cum eis collati non niſi confuſionem,et deformitatem importare poterant.

(b) De hujuſmodi Eccleſiaſticæ Diſciplinæ contaminatione ex parte Collectionis Canonum Mercatoris *Epiſtola ſuper Can.Fraternitatis* aliqua delibavimus.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA